

cm
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29

Det här verket har digitaliseringen vid Göteborgs universitetsbibliotek.

Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.

All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.

This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



GÖTEBORGS UNIVERSITET

JOHANNIS MESSENII
SCONDIA
ILLUSTRATA,

Sen
CHRONOLOGIA DE REBUS SUECIÆ
Potissimum;

Deinde Regnum etiam adjacentium,
in quantum illius conducit cognitioni;
Tam Ecclesiasticis quam Politicis,
ab Anno CHRISTI MDLXVIII. ad MDXCII.
gestis.

TOMUS VII.



STOCKHOLMIAE,
Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M. DCCII.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
MONARCHÆ,
D. GUSTAVO ADOLPHO,
Sueciæ, Gothiæ, Vandaliæq; Regi, Magno
Finlandiæ Principi, Duci Estoniæ, Careliæque,
& Domino Ingermanniæ ,

Quamlibet fortunæ prosperitatem, vitæ prolixitatem, & regiminis felicitatem, &c.

Emo, quantumvis disertus, Serenissime REX, sat digna potest oratione, egregias & prorsus regias JOHANNIS virtutes eloqui; Quarum proinde inlyta exciti famâ, non tantum Christiani Cæsares, Reges atque Principes illius temporis fermè omnes; Sed etiam Imperatores Turcarum atque Tartarorum, crebrò per literas & legatos, ejus captarunt amicitiam; Præcipue tamen & in primis magnus ille Polonorum rex, Sigismundus Augustus, JOHANNIS necdum sceptro donati, propter eadem virtutum ornamenta, captus amore, suam ipsi sororem lubens elocavit. Deinde post obitum Sigismundi, sicut & fugam Henrici, Ordines Poloniae non minus JOHANNIS, nomine virtutum, amantes, illi diadema obtulerunt; Quod secundum Stephani mortem, filio ipsius regi Sigismundo potius etiam, quam candidatorum alii contulerunt.

Quinimò Sueones ipsimet regi JOHANNI propterea etiam magis addicti, sceptrum Erico, vitiorum magis, quam virtutum, studioso, ablatum, illi concorditer porrexerunt. Plenum tamen fuit tumultibus totum ipsius regimen; Siquidem regno potitus, bellum à fratre in Danos susceptum, aliquandiu continuaverit, & illo Stetini sedato, novum cum Moscho, quod hic Estonia, Careliæque dominium nullo jure desideraret, inchoaverit; Idque per vita residuum, propter intolerabilem hostis superbiā,

biām, iniqūissimās identidem pacis conditiones præscribentis, non infelici-
ter sānē prorogavit. Intereā quoque temporis tumultuosas domi ac pericu-
losas, cum fratre habuit Carolo corrixationes; has quidem ob
causas, quod illum suspicaretur Suecia throno inhiare; Quod nolle;
cum tantis Ducatum libertatibus fratri permittere, quantas ille flagi-
taret; Ac demum quod Liturgia in patriam inducenda, eum consenti-
re nequaquam velle intelligeret.

Quippè interim quoque rex JOHANNES, cum regni Clero belligera-
vit, cui medium religionis quandam inter Catholicum & dogma Lu-
theranum, sedulō conabatur normam obtrudere. Ultimis præterea vitæ
amis, in gratiam cum fratre JOHANNES reversus, procellosam similiter
movit contentionem Senatorum primariis Suecorum; Quos ideo suāsse
missionem regis Sigismundi prius in Poloniā; & postea Revaliā, il-
lius contumaciter se revocationi, seu reductioni, opposuisse, ut ipso ita
commodius ex Suecia secluso, & parente, patruoque sine hæredibus
throni masculis aliis, vitā funētis, gubernaculum illi Suecia invaderent,
asseveravit. Quām porrò veritati conformiter, non discutio.

Verum ad MAJESTATEM VESTRAM redeo, & sequens opu-
sculum, Historiam præcedentium continens rerum omnium, MAJESTA-
TI VESTRÆ subjectissimè offero, ut illo clementer ac diligenter perlecto,
MAJESTAS VESTRA ipsamē de his, aliisque proferat judicium, &
pristinæ simul gratiæ Scriptorem restituat, quod etiam humiliter obsecro,
& MAJESTATEM VESTRAM supernæ totus, devotusque commen-
do protectioni. Ex Cajanaburgo XII. Augusti die, Anno MDCCXVI.

S^x. R^x. MAJESTATIS VESTRÆ

Fidelissimus Servitor

JOHANNES MESSENIUS.

PROGRAMMA.

LEx ea fortunæ non vituperanda novercæ,
Quòd det principibus prosperiora malis,
Deteriora bonis, mandato Numinis ipso
Sic impulsa, probos quod magis urit heros,
Nè mundi rebus nimium seducta secundis
Mens, æterna minùs quam peritura colat;
Bella domi, quoque bella foris movet, hostibus hostem
Sors addit, sortem non cohibente Deo.
Viri exempla? sequens tibi monstrat multa libellus,
Regis JOHANNIS quo inclyta gesta leges.
Quem probitas decoravit herum perplurima;
Attamen adversis sæpè rotatus erat.
Carcere clausit eum quadrienni frater Ericus,
Consortemque tori, pignora bina simul.
Indè thronum nactus, Mosci per lustra quaterna
Impetur gladio; Res neque tuta domi:
Nam discors cum fratre fuit, cum parte Senatus,
Datque novæ turbas religionis opus.
Omnia sed finis placidus, Regemque coronat;
Sic mala commutat per bona quæque Deus!

CHRO-



CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ TOMUS SEPTIMUS.

Nno MDLXVIII. Erico Sveo-
num rege, ut præfatus sum, XXIX. Sept.
die captivato, victor Princeps Johannes postridiè cum
triumpho Stockholmiam ingressus, Rex à præsentibus
Sveciæ Ordinibus salutatur; & ità Dux Carolus à regimi-
nis consortio exclusus, fratri velut paetis non stanti,
plurimum indignatur. Sed tacitam germani offensam non magnopere
moratus, collatam acceptat patriæ monarchiam, Johannes; Atque ut se-
curior Sveciæ dominaretur, in quosdam adversariorum gladio animad-
vertit, simulque in primarios Procerum Upsaliæ peremptorum sicarios,
quos inter fuerat, Petrus Gaddius, & Petrus Vilhelmi; sicut etiàm sa-
telles ille, à quo Steno Ericius mortiferum nuper accepisset vulnus,
promeritis afficitur suppliciis. Steno autem V. Octobris animam exha-
lans, Upsaliæ tumulatur. Et rex Johannes viduam avunculi, Ebbam,
pupilosque hujus liberos sibi consobrinos, consolatus, ac mero-
rem nonnihil mitigatus, defuncto contulit Stenoni Comitis insignia,
à superstibus usurpanda liberis, masculaque filiorum progenie. Ad
majora deinde conversus regni negotia, VI. Octobris Johanni Basilio,
Moschorum principi, perscripsit: illi significans de regis Erici captiva-
tione; suâ ad thronum Sveciæ promotione; pacis cum Dano instaura-
tione; Et, si ejusdem ille cupidus esset, quantociùs significaret, habi-
toque circa regnorum limites per legatos cum Svecis colloquio, pacem
roboraret pristinam; Atque hujus gratiâ nullam se illius legatis Stoc-
holmiae depræhensis, injuriam irrogasse, licet id jure meritissimo po-
tuisset, quòd in negotio prorsùs inhumano & barbaro hic occuparen-
tur expediundo; Nimirum ut illustrissimam, charissimamque tori con-
sortem, sibi per summum scelus erectam, hinc in Moschoviam abdu-
cerent.

Indè tamen Moschus magis efferatus; sicut etiam quòd sui legati
forent in tumultuosa Stockholmiae occupatione, paulò inclementius mul-
ctati; quod justo diutius hic detinerentur; quòd suâ omnino spe fru-
stra-

CHRONOLOGIÆ SCANDIANÆ

straretur de Catharina sibi transmittenda; & quod captivi misertus regis Erici longè amicissimi, hujus moliretur liberationem, bellandum potius cum Sueco, quam paciscendum existimavit. Pacis nihilominus se cupidum aliquandiu simulavit, donec incolumes ex Suecia legatos recuperasset; Et tunc primò hostilem prodidit animum, cruentissimique cecinit belli classicum, quod nimis diu cum Sveonibus deinceps minus fortunatè gesserat, prout sequens historiæ contextus attestabitur; Qui potissimum in belli descriptione Moschovitici, Livonicique, & novi per Johannem regem dogmatis liturgici Suecis obtrusū, declaratione, versabitur. Porrò Catharina regis Johannis conjunx, Stocholmiam in splendidissimis appulit liburnis VII. Octobris, Vasteno ex Ostrogothia, ubi tumultus fuit tempore morata, adveniens; Et regina protinus salutata, in dotem propter nuptias, ac pro bonis, ut vocant, vitalitiis, Oelandiam cum Borcholmensi castro, & partem Ostrogothiæ, cum arce Stegeburgensi, Sudercopensi & Lincopensi civitatibus, subjectisque provinciis ac præfecturis, obtinuit.

Jam verò cum semestres ad finem properarent induciæ, inter Johannem & Fridericum reges constitutæ, pro ipsarum prorogatione, vel omnimodâ controversiarum transactione cum Danis ineundâ, Octobri mense, Thuronem Bielchium, & Georgium Gyllensternium, viros genere nobilissimos in Daniam ablegavit. Qui Roschildiæ cum adversariis postea collocuti, iniquissimis subscripterunt pacis conditionibus. Nam Danis minus prudenter sunt polliciti sumptuum refusionem, quos Fridericus in suum militem, induciarum tempore in gratiam regis Johannis à bello feriantem, impendisset; Navium in bello Danis ablatarum; sicut etiam Jemptiæ, Herdaliæ, Oefeliæ, Sonnenburgi, Lealiæ, Hapsaliæ, Lodii & Varbergi, resignationem; Liberam trium coronarum usurpationem; & omnem Sueonum jurisdictionem in Norvegiam, Gotlandiam, Hallandiam, Blechingiam atque Sconiam. Immò & Lubecensibus veterum solutionem creditorum, ac quorumlibet damnorum compensacionem, addixerunt, indeque domum redierunt. Quos rex Johannes cum hujusmodi reduces transactione, minus clementer exceptit, quod suam præter voluntatem, pactis adeò intolerabilibus subscriptissent; & super iis cum regni Ordinibus deliberaturus, Comitia indicit Stocholmiæ initio sequentis anni celebranda. Interea temporis autem, de Estoniae non minus conservatione sollicitus, Henrico Claudio mandat provinciam resignare, quod hujus fidelitatem haberet suspectam, & illam Gabrieli Christiernio, à Mœrby Libero Baroni, commendat: Qui X Novembris Revåliam delatus, ab incolis honorifice suscipitur, fidam Regi Johanni subjectionem spondentibus, & novos ipsi honores magnoperè gratulatibus. Reliquum denique anni exeuntis tempus, Sueciæ Gothiæque novus Rex impenderat obfuscationi, ac Finlandorum Estonumque subjugationi.

Anno MDLXIX ineunte, confluunt Regni Ordines Stocholmiæ; quibus cum XXIV Januarii Comes Petrus, Gustavus Olai, Thuro Petri, Nicolaus Gyllensternius, & Hogenschildius, collocuti, prolixâ oratione comprobarunt, Regem Johannem, quod pius, probus, clemens esset, quod gloriosum & fructuosum Patriæ matrimonium inivisset, quodque proximus throni foret hæres; hunc legitimè nuper concendiſſe. Ita Ericum, quod impius, improbus, & infamis esset tyrannus; turpissimamque Regiæ familiæ, & Patriæ, suo matrimonio aspersisset maculam, ex Regio justissimè deturbatum esse fastigio. Ipsa deinde Regis Erici sclera copioso comprehensa scripto, velut æquissimas depositionis causas, Ordinibus prælegerunt. Qui demum à Proceribus interrogati, an hujusmodi propter causas, vellent o-

mne

mnem Erico subjectionem, obedientiamque renunciare, & ipsam Regi Johanni præstare? Concorditer assenserunt. Ita protinus litteris sigilla, quibus se Ordines Erico prius obligassent, avelluntur, discerpunturque; & in focum hujusmodi abjiciuntur codicilli. Protestati quoque sunt præfati Oratores, non pauca Erici scelera longe fœdiora, se voluntario pertransire silentio, nè illustrissima ejus prosapia inde simul aliquam contraheret labeculam.

Sequenti autem die, qui Divo fuit Paulo solennis, Johannes ipse met in Ordinum frequentiâ comparens, in primis causas suæ cum Erico discordiæ commemorat: Quarum essent præcipua, quod se omnino insontem, cum uxore liberisque captivasset; Proceres Upsaliæ mactasset; & Catharinam Moscho destinasset. Deinde ob suam illis designationem copiosas agit gratias, sanctè promittens se ita gubernaturum, ut coram Deo judice omnium postremo, totoque mundo securus posset respondere. Insignia tamen Regia non suscepturnum, antequam Sveonibus domi, forisque, pacem cum hostium quibuslibet procuravisset. Deinde omnes omnibus condonat offensas. Hacque Ordines benevolentia & clementia plurimum exhilarati, Erico iterum obedientiam renunciarunt, & illum carceri perpetuo adjudicarunt: Velut quoque liberos, omni ad thronum Sueciæ successionis jure privarunt. Georgii Petri omnem similiter sobolem, nullâ prorsus in Regno functione publicâ fruituram, pronunciarunt. Damnaruntque pariter quaslibet sententias in vivos aut mortuos ab Erico prolatas; Et non aliter de cæsis Upsaliæ optimatibus, quam honorifice loquendum statuerunt. Tandem Regi Johanni Roschildensem proponenti transactionem, & Ordines super eam consulenti, una responsum ab omnibus acclamatione, quod honestum potius cum Dano bellum, quam turpem hujusmodi pacem, optarent. Quâ Sueonum Rex Johannes magnanimitate plurimùm collaudatâ, eidem suffragatur sententiae, & protestatur, nisi Danus de honestioribus denuò sollicitatus pacis conditionibus, æqua postulanti obtemperaret, se hostes illi simul alias domi, forisque objecturum.

Postridiè verò, nempè XXVI. Januarii, Ericus in facello arcis fistitur judicio; ubi cum fratribus diu corrixatus, demum publicâ, solennique Ordinum sententiâ, Regali privaturn authoritate ac dignitate; multorumque damnatur criminum, & carceri, honesto tamen, talique personâ digno, adjudicatur. Quandò comes Petrus nomine Nobilium; M. Laurentius regni Archipræful nomine Cleri; Consul Stocholmensium nomine Civitatum; & quidam aliis nomine Agricolarum, gravissimis rationum momentis ibi productis, promissam Erico fidelitatem atque subjectionem, solenniter revocarunt. Culpam porrò Ericus sui infortunii omnem fermè Ordini attribuens Equestri, in hunc vehementi profecto invectus fuit oratione, ipsi luculenter exprobrando, quod cum plus honoris in illum contulisset, quam ullus regum Suetorum, titulis Comitum & Baronum decoravisset, tam nefandam, detestandamque sibi gratiam referret! Sed ista surdis excipitur auribus querela, & in carcerem Ericus reducitur, ubi gravibus fuit contumeliis ac ærumnis affectus, filioque insuper Gustavo, & filiabus, oculo mage charis, postmodum spoliatus, suam indesinenter luxit orbitatem.

Præfato autem spectaculo miserabili peracto; Dux Carolus eodem die suis spondet regi Johanni literis & juramentis, per Christianam fidem, ac honestatem ducalem, sacrosanctumque Dei verbum depositis, quod fidelissimus illi futurus, nec alium ipso vivo, pro legitimo regni Domino

CHRONOLOGIAE SCONDIANÆ

4

agniturus ; Fratri autem mortuo , idem seniori filiorum superstiti obsequium & homagium præstitus, servaturus, ad regnumque promotus esset solium. Sin verò sine masculis decederet hæredibus, non fœminis , his de convenienti provisurus sustentatione, ac tantâ dotatione, ut quælibet illarum C. millia thalerorum ex regno Sueciæ consequeretur ; Nec illo, aliovè casu, viduæ defuturus Catharinæ, quæ citra ullam controversiam bonis fructura vitalitiis. Verum posterâ die Ordines suum regi Johanni fidelitatis juramentum, litteris ac sigillis roborarunt ; hilaresque domum remearunt.

Interim litteras regis Johannis nactus Moschus, iis mense Februario fraudulenter respondit ; Falso perhibens, se cognito per vanos rumores regis Johannis interitu, eâ Catharinam intentione ab Erico postulasse, ut ipsam fratri remitteret regi Sigismundo : Nec propterea Sueco justam esse causam, suos diutius legatos detinendi; hortans ad horum expeditionem, & simulans se pacis studiosum : Litteras salvi conductus pro legatis Sueonum , illuc quantocius alegandis , simul transmittit.

Calendis porrò Martiis , Brigittinæ sub Revalia moniales , supplici flagitant libello à reginâ Catharinâ , ut Henricus Claudius à Kanchas , fundos suo ablato nuper cœnobio , restituere compelleretur. Quarum preces apud Principem , hujusmodi personarum amantissimam , non fuisse vanas existimo : Nam & Nadendalenses in Finlandiâ , Schogenses in Sueciâ , & Vastenenses , Vretensesque in Ostrogothiâ , Vestalium conventus , gratiâ peculiari complectebatur.

Atqui captivus Ericus , longè miserabiliorem IV Martii die, ipsi met regi Johanni supplicem transmisit libellum : In eo siquidem lamentabili queritur oratione, de injuriis , opprobriis , contumelias, frigore, fame, fœtore , tenebris, & quotidianis vitæ insidiis, quæ haec tenus per XXII septimanas , ab iis irrogata sustinuisse, quibus sui custodia esset demandata. Hos insuper accusans ablatorum sibi violenter & fraudulenter liberorum, librorumque ; denegati saepius concionatoris; spoliatae supellectilis ; quodque dedita operâ, ex quadam detestabili malitia, per crebras tumultuaciones & vociferationes, nocturnum, diurnumque sibi somnum eripuissent. Demum obsecrat , ut frater his dignaretur adhibere molestiis remedium, & honestas captivo libertatis conditiones præscribere : Tantumque esse mundi spaciun, ut hujusmodi fratrum discordias prolixiori valeret locorum intercedine haud difficulter imposturum dirimere. Quid autem Ericus inde consolationis obtinuerit, mihi non constat : Illud tamen mecum Sueones sciunt universi, quod non multò post tempore, Olaus Gustavi à Lena Baro , honorariorum unus excubitorum, bombardam in Ericum disploserit ; qui per brachium graviter fauciatus, diu caruerit auxilio chirurgi, & proprio jacuerit cruro , miserabiliter admodum fœdatus. Nec Regis arbitror instinctu hujusmodi perpetratum scelus , verùm impulsu Olai proprio, cædem vindicare fraternalm desiderantis.

Cæterū tyrannus Moschorum Johannes Basilius , Livoniæ dominium totius denuò affectans, primò Revaliensibus defectionem à regno Sueciæ decreverat persuadere. Ideoque binos Livonum sibi pridem juratos, videlicet Johannem Dufve, ac Elardum Kruse , super isto probè informatos negotio expediundo , Vesenbergam alegat. Qui mandata ut commodiū exequerentur , vocatis fraudulenter duobus ex Senatu Revaliensium Vesenbergam, illa mense Aprili pandunt , magnopere suadentes,

TOMUS SEPTIMUS.

5

tes, ut quandoquidem Erico rege legitimo ipsorum Domino jam captivato, à subjectione, Sueonibus promissa, essent omnino absoluti, Magni Ducis imperio se quantocius subderent, pristinam ita recuperaturi dignitatem, & tantis fruituri privilegiis ac immunitatibus, quantis nullum Baltici maris emporium. Sin verò dominium Moschi recusarent, armis illos, reliquosque Livoniae totius inhabitatores, ad subjectionem actutum omnino esse compellendos; cum magnus Dux & Imperator Russiæ, nullam prorsus mentionem pacis cum Sueco vel Polono ineundæ foret admissurus, nisi universam sibi primum Livoniam resignarent. Sed Revaliensium oratores, responso tanti negotii ad senatus sui arbitrium callide prorogato, domum redierunt: Et Revalienses, licet saepius hac de re à Moscho sollicitarentur, tamen in promissa regno Sueciæ obedientia constantissimi, cum maximo etiam rei familiaris detimento, permanserunt.

Isto autem Suecus tempore talem Moschi prorsus ignorans molitionem, & magis infidias Dani formidans, legatis ad hunc denuò transmissis, suadet ut honestioribus pacem legibus inire non gravaretur. Simulque omnem domestici occasionem tumultus, sapienter præventurus, fratri Carolo Ducatum Sudermanniae, Nericiæ & Vermelandiae IX. Maij confirmavit, promittens, ac permittens, ut illo juxta tenorem paternæ donationis, testamentique, & legum Sueticarum vigorem, cum hæredibus masculis, frueretur: Ita tamen ut incolæ ducatus, ipsorumque Princeps, regem Sueciæ supremum agnoscerent semper dominum. Hoc itaque pacto rebus domi, forisque ordinatis, rex Johannes suam diutius inaugurationem prorogandam, haud consultum existimans, X. Julii die, quâ decuit solennitate, cum uxore Catharina, Upsaliæ regia capessit insignia. Quando Regis instinctu cleris Sueciæ sequentes approbavit articulos:

Quorum primus, ut festum Transfigurationis Christi quotannis Dominica VII. post festivitatem sacrosanctæ Trinitatis, solenniter in universis regni Ecclesiis impostorum celebraretur.

Secundus, nimis curtam & brevem in clericis vestem, velut etiam oblongos militaresque pilleos, ac pariter quamlibet in clero levitatem & luxum, Regia improbaret Majestas; Cum deceat ut mores sint doctrinæ conformes, & vestitus officio, personæque conveniens.

Tertius, Episcopis non liceret impostorum, ut hactenùs factum perperam, minus peritos in artibus dicendi & doctrina Christiana scholasticos, sacris initiare ordinibus; Verum hujusmodi personas, que cum fructu aliquo, & bone vite exemplo, possent Ecclesiæ Christi laudabiliter praesse.

Quartus, sacerdotes scortationibus & belluationibus dediti, qui que suis minus essent morigeri Episcopis, officio & beneficio privarentur.

Quintus, ex albo etiam cleri sacerdotes adulterio vel homicidio infames, omnino expungendos, aliove notatos flagitio enormi, & juxta legum patriæ rigorem, morte mulctandos; Nè propter hujusmodi scelerosos totum Deus regnum puniret, & reliquum male audiret Presbyterium.

Sextus, beneficium alterius illicitis ambiens mediis sacerdos, officio privaretur, quo fuerat antea usus; Quoniam Domini preceptum, Non concupisces! turpiter prævaricatus esset.

Septimus, Rex serenissimus facultatem indulgeret Episcopis, ut impostorum pro ratione officii, idoneis ipsimet conferrent sacerdotibus in sua diœcesi parencias, nè Majestas Regia in hac, velut aliis momenti levioris rebus, toties molestaretur.

Octavus, verum si regale foret beneficium; competitor cum litteris sui Episcopi commendatitiis, Regi se presentaret supplicem.

Nonus, cum sacerdotum non pauci nimis inciviliter, præter Oeconomie necessitatem, operam dantes mercaturæ, turpissimoque quæstui, proprium negligentius facerent in Ecclesiæ officium, cum suo & auditorum gravi detimento; indeque à sacrarum studiorum summopere avocarentur ac distraherentur: Nisi talibus impostorum supersederent nundinationibus, munere privarentur Ecclesiastico.

Decimus, negligentiores similiter Episcopos, raro in Ecclesiæ concionantes cathedralibus ipsimet, vel alios sui loco providentes; velut etiam infrequentius diœcesin visitantes, & parochorum mores, doctrinam, vitamque examinantes, Regia Majestas officii sedulo admoneret.

Undecimus, potestas esset Episcopis diœcesin vigilanter obliuantibus, ex decimis necessaria conferendi subsidia Ecclesiæ passim ruralibus, edificatione, ornatu, vino & hostiis pro Eucharistia indigentibus administratione.

Duodecimus, admonitos Rex vellet Episcopos, ut in oneribus sacerdotum, velut taxâ, & aliis, geometrica servaretur proportio, inter opulentiores ac pauperiores; Nè quis illorum ultra facultates se oneratum conquereretur.

Postremus, ruralium denique Pastorum uxoribus indulgeret Majestas Regia, ut mortuo sine liberis marito, in divisione bonorum, legum fruerentur municipalium tenore, & dimidium illorum cum aliis cohæredibus assequerentur.

Voluit prætereà Rex Johannes (ita pedetentim præcipua Catholicæ religionis dogmata, non tamen mox omnia, in Ecclesiam reducere Suecanam moliens, & clerum præfatis modò statutis paulisper velut inescans) ut solennia quoque corporis Dominici quotannis celebranda susciperent. Sed Clerus abusum, & idolomaniæ obtendens periculum, penitus recusavit; suumque idcirco Rex propositum in aliud tempus prorogavit.

Secundum porrò coronationis festivitatem, subdolis Moschi provocatus litteris, pacificum præferentis animum, XXI. Julii legatos illius, insigni ornatos viatico, hinc domum expedivit, & unâ suos; nempe M. Paulum Justen, Finlandiæ præfulem; Broderum à Risa; Thonnonem à Tiusterby; Mathiam Schubertum, Secretarium; & Engelbertum interpretem. Isti autem in mandatis habuerunt, ut imprimis fatagerent pacis impetrare confirmationem, & illius per XVI. aut XX. annos prorogationem, firmamque simul cautionem, quod interea Suecus Estoniae securus esset dominaturus, & Revaliâ, Vitensteno, Karchusio, Padiso, Habsaliâ, Ledio, Lealiâ & Sonnenborgo, libere fruiturus. Atque ut hujusmodi pactum non osculo crucis per castellanum factò Nogardensem, sed ipsum Russiæ Principem, roboraretur; Quod nullo posset jure aversari, cum aliis Europæ regibus, idem soleret ipsem præstare officium, prout liquidò testaretur nupera cum Erico Sueonum, & Sigismundo Polonorum, regibus, transactio, ita per Moschum approbata. Sin verò arrogantisimus ille, superbissimusque Principum, & hoc & illud simul recusaret, nè proptereà omnino pax utrinque perturbaretur, & sanguinis humani daretur inde occasio effusioni, legati pacem acceptarent, proprio Moschi diplomate, & osculo Castellani Nogardensis, aut Derpatensis, roboratam, similemque à suo promitterent domino pacificationis confirmationem.

Verum perfidissimus Russorum tyrannus, suis cum gaudio legatis tandem recuperatis, Sueticos ad nullam permisso hujus negotii actionem, rebus nudatos omnibus, & in arctissimam detrusos custodiam, in illa tot annos, menses, dies, horasque detinet, quot in Suecia fuissent sui

TOMUS SEPTIMUS.

7

sui prius detenti; Longè tamen inhumanius fuerant tractati, cum solo pane & aquâ frequentius cibarentur, singulasque periclitarentur vitâ in horas.

Hactenus etiam Suecus frustrâ cum Dano super honestioribus pacis conditionibus egit, & hostis indè magis exacerbatus, quâm placatus, arma corripit, ac Varbergum initio autumni obsidet. Nec sêgnior Rex Johannes, missis cum fratre Carolo militaribus in Sconiam cohortibus Octobri mense, tantis eam cladibus mulctavit, ut illam provinciæ vastationem, scriptores Danici etiam hodie lamententur. Nostrum in Varbergum præsidium interea acriter hostium se opponit irruptionibus, adeò ut præter aliam illis cladem quotidiè inflictam, ipsum Danici exercitus ductorem, Danielem Ranzovium, XI. Novembris prostraverit. Quamobrem Dani armis diffisi, ad fraudes confugiunt solitas, harumque beneficio adversariis prævaluerunt, & IV Decembris, Varbergum dolo sibi proditum obtinuerunt. Deindè cladem Scaniæ vindicaturi, Westrogothiam infestarunt, quos indè Sueones profligarunt.

Anno MDLXX. Claudius Kurselius, Polemarcha Sueonum in Livonia, hujusmodi Johannem regem domi bello distentum haud ignorans, ideoque minus illum sibi formidans, velut etiam de residuâ salarii solutione, sibi & commilitonibus à Sueco numerandâ, magnoperè desperans, initâ cum Germanicis & Livonicis equitum turmis conspiratione, fraude quadam Revalensem statuit acropolim occupare. Nec primarius hujus fuerat machinationis scopus, ut Claudius arce potitus, facilis à Rege stipendum extorqueret: Sed ut Moscho illam, vel Polono, aut Dano, vel Carolo Johannis germano, pacta fratrem conventa minus fideliter exequentem, (ut quidam perhibent) in ordinem redigere clanculum molienti, tandem prodendo, non paucis auri & argenti talentis, præter salarii numerationem, donaretur; novique domini obsequiis, periculi admodum securus, postea manciparetur. Quamobrem VII. Januarii sub doloso nimium prætextu, cum plurimis conjuratorum in castrum intromissus, præfidiariis nihil periculi formidantibus, minus difficulter superatis, prænobilem virum Gabrielem Christiernum, à Mœrby Baronem, Revaliæ ac totius Estoniae gubernatorem, & hujus uxorem liberosque, in arctam detrudit custodiam; & arcis possessionem, atque defensionem sibi ac suis sectatoribus arripit.

Postridiè autem senatus urbis, de hujusmodi graviter cum ipso expostulans perfidia, non aliud obtinet responsum, quâm quod munitione loco pignoris esset fruiturus, donec promerita stipendia integrè sibi & commilitonibus à Rege Sueonum persolverentur; Proinde cum pro tempore nec gubernator, nec senatus, essent solvendo, itâ fuit utrinque transactum, quod Gubernatore cum uxore ac liberis soluto, Claudius cum complicibus arce, & provinciâ Revaliæ subjectâ, usque festivitatem Pentecostes, foret liberè gavisurus; Interea Gubernatorem hoc super negotio, Regem consulturum, residuumque salarii ab eo impetraturum.

Mochus porrò Livonici cupidissimus dominii, ac in primis Revaliæ, velut urbis ibi potissimæ & fortissimæ, de præfato hujus statu nec dum factus certior, alio, & quidem hujusmodi, non satis tamen honesto Livoniæ stratagemate sibi totam subjugare meditatur: Enimvero Tyranus probè hactenus animadvertisens, immediato Livones Moschoviæ imperio se nullatenus submissuros; & reminiscens quo pater Basilius ante LVII. annos dolo, Smalenschoviensis inhabitatores provinciæ, Moscho-

viti-

viticum similiter jugum tempore multo detrectantes, demum subjugasset: Idem Livones nunc fraudulenter decrevit sibi per compendium, substernendos. Et propterea non obscure intelligens Livones, Germanicæ vel Danicæ Principem nationis haud aversari dominum, callide simulat solo protectoris titulo sibi quoad Livoniam reservato, suam in Livonia possessionem, & totam jurisdictionem, se paratum Magno Holsatiæ Duci, Livonæ in primis regi designato, concedere, ut ita per illum provinciæ munitionibus potitus quibuslibet, universam facilius occuparet Livoniam, & personatum seu larvatum deinde regem captivaret. Protinus igitur Magnum hac de re compellat subdolè, qui fraudis ignarus, eâ consensit spe voto Moschi, quod isto consideret pacto, Livoniam progressu temporis Daniæ, tanquam veteri dominæ, restitutum iri. Plurimi etiàm Livonum, Moschi dolum minimè animadvertisentes, verùm sub Germanico rege aurea patriæ secula indubie redditura, sibi stolidè imaginantes, idem juveni & minus experto suadent Principi Magno indefinenter. Qui propterea hinc animatus, & à fratre Danorum rege, Livonicum diu multumque affectante dominium, simul forsitan instigatus, hujus anni principio, missis in Moschoviam legatis, de conditionibus novæ istiusmodi regiæ dignitatis, in Livonia prope diem instituendæ, & sibi primum conferendæ, cum Ruthenis sedulò deliberat.

Interim verò Magnus occupatum à Claudio Kurselio castrum intelligens Revaliense, & istud hac sibi occasione prodendum confidens, velut nominato, candidatoque Livoniæ regi, salvum, ut vocant, conductum, pro eo transmittendis quantocius legatis, à Revaliensibus IV. Februarii flagitat: Sed non impetrat, quod Kurselii, non Gubernatoris mentionem in literis fecisset. Ac licet Claudius, velut rerum studiosus novarum, publicam illis fidem solus indulsisset, tamen in civitatem haud sunt intromissi; proptereaque Claudius foris legatos conveniens, ita cum ipsis negotium transegit, ut CC illi præfidiarios sponponderent in necessitate ab Holsato submittendos. Itaque cum non ingratis Magno responsi indè à Kurselio reversi, oratores Ducis sui prius in Moschoviam alegatos, cum haud minus beneplacito eidem transactionis decreto reduces offendunt. Atque cum negotii totius consummatio, & ipsa, si diis placeret, inauguratio, candidati omnino requireret in Moschovia præsentiam, itineri se festinus accinxit Magnus, & Derpatum progressus, ibi per bimestre temporis spacium, cogitur demorari: Nam interea Moschus factios in regno suo, & Polonicarum, ut ipsemet falso dicitabat, partium studiosos profligaturus, ac exterum deinde principem eo advocaturus, tantam Novogardiæ, Plescoviæ & Narviæ, suorum edidit stragem fidelissimorum subditorum, quantam vix ullus tyrannorum alibi terrarum subditis, etiam infidelissimis, deprehenditur unquam intulisse. Nec tamen hâc ferocissimus hujus tyranni animus mitigatus, & satiatus, longè immaniore æstivo postea tempore, in primarios suorum Consiliariorum, in ipsa Moschovienium civitate, tyrannidem exercuit.

Atqui Danorum rex Fridericus, cladem Scaniæ nuperam à Suecis inflictam vindicaturus, XXVII. Februarii Gothiam cœpit infestare australē, & aliquot in ea territoriis crudeliter devastatis, VII. Martii die Vexionensium urbi flamمام subdidit, quibus simul Ecclesia ibi cathedralis conflagravit. Nec Suecus interim à bello feriatus, missò vicissim in Norvegiam exercitu, truculentiore multò vastitatem, calamitatemque hostico inflxit. Quamobrem Danus serò nimium suis compassus regni-

gnicolis, demum consensit lubens, ut armis utrinque depositis, quælibet cum Sueco controversia, legitimis submitteretur arbitris, Stetini mense Julio ventilanda & terminanda.

Ast Sueticus Revaliæ miles, non obscuris interea comperiens indiciis Kurselii perfidiam, cum hostibus clanculum aduersus pacta colludentis, etiam ab ipsis discedere, adversarioque perfidissimo castrum simili astutiâ eripere, tacitus secum statuit. Itaque Nicolaus primariæ cohörtis Centurio, cognomento Doblare, vir ingenuus, & miles admodum strenuus, nonnullis hostilium excubitorum sibi conciliatis, ad silentium obligatis, subornatis, rogatisque ut commilitonum reliquos condictâ facinori die plurimùm inebriarent, non parcentes argento in hujusmodi ferale symposium liberaliter assignato, nocte parasceven subsequentे, castrenses hoc adoritut successu: Quando Kurselius, & miles in arce præsidiarius, vino, somnoque erant conseptuli, Nicolaus cum suis pugnatoribus fautorum ope per obscurum penetrans in arcem foramen, ita hostium quosdam excitabat, ut somnum momentaneum cum æterno permutarint; Alios verò donatos vitâ, quos inter fuit Kurselius, cum nonnullis equitum Magistris, in promerita dudum conjicit vincula, & tandem portis castri patefactis, Gubernatorem cum reliquis Sueonum gressus illuc matrarentem, insigni suscipit triumpho.

Ista Sueonum victoria, exemplò per Livonię divulgata, fautores & sectatores Moschi Danique gravi perculit dolore, ac præcipue Ducem Magnum; qui secundum solennia Pentecostes, Derpato in Moschoviam profectus, & inusitatâ ibi benevolentia clementiaque cum Germanis suscepit comitibus, à Moscho Rex Livoniæ salutatur, & solenni pompâ his conditionibus proclamatur: Magnus Cæsar Russiæ, solo contentus protectoris titulo in Livonia, & exiguo quotannis inde tributo, in recognitio nem dominii pendendo, integrum novo Regi possessionem Livoniæ procuraret, & inde Suecis quantociùs profligatis, contra hos, aliosque hostium, vasalli partibus fideliter astaret; sicut etiam cum Imperatore Germanorum, amicitiam, fœdusque adversus Turcam renovaret. Immò toti Theutonicæ nationi, non aliter quam fratrem germanum se impostrum exhiberet, & peculiari benevolentia in suo imperio foveret. Magnus præterea regnum Livoniæ hæreditario possideret jure, pro se, hæredibusque masculis; Sin autem sine his vitam finiret, successorem ex Dania vel Holsatia principum haberet aliquem, perpetuò inde, non aliundē petendum: Nec ullus Moschorum, inferioris vel superioris conditionis, aliquod in Livonia obtineret dominium, aut potestate ibi vel minimâ unquam gauderet. Atque aliquod specimen simulati Tyrannus favoris præbiturus, plurimos Germanorum in Livonia dudum captos, & in variis Russiæ hactenus ergastulis miserabiliter detentos, vitâ, opibus & libertate, modò donavit. Quibus Moschi blandimentis & figmentis non pauci Livonum seducti, modò fortunatissimum patriæ statum certo certius expectaverunt.

Verū Revalienses, ab istis licet fatuis hominibus crebrò sollicitarentur, ut repudiato Sueonum imperio, se tam fortunato beatoque Regis Magni subderent dominio: Tamen memores beneficij à regno Sueciæ hactenus multiplicitè accepti, in obedientia constantes permanes runt; & fraudis non ignari Moschoviticæ, levissimum Sueciæ jugum, cum gravissimo Russiæ aratro, permutare noluerunt. Ipse net præterea Magnus, mox à sua in regem promotione, frequentibus Revalienses, & alios Suecis in Livonia modò adharentes compellans litte-

ris, aureos spondet montes, se Dominum si agnoscerent; Qui vero contemnerent, plumbeos & ferreos in tela conflandos, illis comminatur rebellibus. Per has tamen minas velut ex pelvi jaetas, Magno nil proficiente, Moschus suum armis clientem in Livoniam intrusurus, & inde Suecos expulsurus, ingentem cogit protinus exercitum, quem cum Magno in Livoniam ablegaret.

Hujusmodi porrò molitionum Johannes Sueorum Rex non omnino gnarus, suis Moschum literis IX. Maji hortatus est iterum, ut Sueticos ibi legatos plus æquo contra gentium jura detentos, cum responsu inde quantocius expediret: Simul etiam hostis lætitiam, ex infortunato nostratium successu Revaliae susceptam immodicè, in mœstiam conversurus, in iisdem memorat, se castrum recuperasse, & perduelles morti destinasse; quod arcem Dano prodere, bellumque Suecos & Ruthenos inter accendere essent machinati. Sed justam Sueci petitionem, tyrannus ille perfidissimus falsè admodum deridens, legatos nihilominus retinet; & à Magno perperam informatus super Suetici Regis prosapiâ, de hac contumeliosos miscet quotidie sermones. Nam ea fuit Holsati molitio, à fratre Dano ad ipsam pariter instigati, ut his, aliisque conaretur modis, Moschum in Suecum inflammare, & semina belli gnaviter talia seminare, qualibus uterque provocatus, mutuis se conficeret detrimentis; & his Suecus in Finlandia, Livoniaque distentus armis, Daniam non infestaret, sed tolerabilioribus Dano conditiibus, in futuro propediem utrinque Stetini colloquio, pacem approbaret & firmaret.

Cæterum XXXI. Maji, Claudius Kurselius judicio Revaliae præsentatus, & morti adjudicatus, ipsam meritò subiit post triduum, quando cum nonnullis consortum gladio cæsus, occubuit. Complicum verò alii in Sueciam ablegati, vitam, Caroli Ducis intercessione retinuerunt; indeque se magis criminis communis osoribus suspectum redens patronus, de suâ postea innocentia vehementer potestatus fuit.

Habuit Kurselius à Johanne rege Lealiam in feudum, quam à præsidio frustrà Sueci repetentes, misso proinde illuc Nicolao Doblare cum sua cohorte, septimanis aliquot Lealiam impugnarunt; Sub qua ipsem corruit Centurio, cum non paucis commilitonum, Reliqui tamen continuantes obsidionem, Lealiā tandem potiuntur. Ideoque auxiliares tardius à Moscho advenientes copiæ, in Vichiam Sueorum ibi provinciam effusæ, grandem incolis cladem attulerunt.

Quando Rex Johannes, crebris Erici fratris, captivoque clam fenantium, variis & nefariis provocatus machinationibus, in ipsa diutius Suecia illum retinere captivum minus consultum duxit; Hac idecirco æstate, illum per mare in Finlandiam sub arctissimâ custodiâ transmissum Abogiæ castellano tradidit custodiendum. Illuc simul uxori, liberique deferuntur, præter Gustavum Erici primogenitum; qui deinceps in transmarinas expeditus regiones, in Prussia Brunsbergæ, Turoniæque aliquandiu, & postmodum Vilnæ in Lithuania, artium liberalium studiis eo fuit imbutus fine, ut progressu temporis, loco diadematicis Suecici, infulam auxilio patrui consequeretur in Polonia. Et quamvis ob nimiam pusillanimitatem, nec sceptro, nec pedo esset ille idoneus, tamen mediocres in litteris fecit progressus, libris annis aliquot indefessus in tanta rerum omnium penuria adhærens, ut interdiu Scholas frequentaret, noctu autem in publicis Turoniæ Vilnæque diversoriis, suam hospitibus operam in mundandis ocreis, phaleris, & cu-

randis equis, locando, tenuem victum amictumque sibi compararet. Tanta sunt fallacissimæ procacissimæque ludibria fortunæ, à quibus nè inclyta quidem soboles regum est immunis; cùm iste tam gloriōsi ac victoriosi Monarchæ filius, fortunam adeò novercam sit expertus!

Haetenus porro Imperator Romanorum Maximilianus, Rex Gallorum Carolus, Rex Polonorum Sigismundus, & Dux Saxonum Augustus, arbitri controversiæ, Suecos, Danos ac Lubecenses inter flagrantis, designati & rogati, suos mense Junio commissarios seu vicarios Stetinum ablegarunt: Cæsar quidem Johannem Fridericum, Pomeraniæ Ducem; Joachimum Schlick, Comitem à Paffau; Christopherum Corlovicium, Equitem auratum; & Casparum Munchevitum, Cameræ suæ Consiliarium: Gallus, Carolum Danzæum: Polonus, Martinum Cromerum, Episcopæ Varmiensis coadjutorem; Johannem Demetrium Solicovium; & Justum Claudium: Elector autem, Ludovicum, ab Obersten Comitem; ac Ericum Volchimar, Thuringiæ Capitaneum. Ab ipsiis metuero litigatoribus, illuc Oratores & causarum actores, destinati advenerant: Ex Suecia in primis prænobiles viri, Nicolaus Gyllenstern, regni Cancellarius; & Georgius Gere, Barones; Benedictus Gylta; & Ericus Gyllenstern, Equestris ordinis Magnates; Olaus Laurentius; Hieremias Rhæmer, & M. Petrus Fectius, Secretarii: Ex Dania deinde generosi etiam Proceres, Petrus Bilde à Suanholm, regni Senator; Henricus Ranzovius, Holsatiæ Gubernator; Georgius Rosencrantius, Consiliarius; Joachimus Hinche D. Juris, & Decanus Bremensis; atque Nicolaus Kaas, Secretarius.

Inchoata prœindè hos inter actio Calendis Juliis, per sequens annū spaciū quinquemestre, vehementi animorum verborumque contentionē identidem utrinque ferbuit, Sueci Sconiam, Hallandiam, Blechingiam, Gotlandiam & Jemtiam reposcentibus, suaque urgentibus jura, ratione trium coronarum; ast Danis pervicaciter contradicentibus, & temporis præscriptionem, aliamque obtendentibus jurisdictionem: ita quod pars utraque non parum negotii faceſſeret Compromiffariis.

Interim vero Moschus verberibus, non verbis, suam cum Sueco litem de Livoniâ dirempturus, comparatum haetenus exercitum, Duſtore Magno, Livoniam versus modo transmisit; & primariae hujus provinciæ munitiones, Revalia ac Huitenstenum, XXI. Augsti, à pluribus hostium millibus arctissimâ cinguntur obsidione, XXX. deinceps septimanis fortiter admodum, & laudabiliter utrobique profecto toleratā. Nam quoad Huitenstenum, Hermannus id Flemingius, insigni cum fortitudinis encomio, propugnavit. Nec minus Revaliam Gubernator; qui fidelissimo civium nixus auxilio, non urbem, arcemque intus solum ab hostium crebris defendit impressionibus, sed eruptione foras aliquoties audacter factâ, eminūs, cominusque, plurimis adversarios cumulat detrimentis.

Quamobrem Moschus, nihil præsenti sub Revalia bellico apparatu effectum iri cognoscens, copiosiorem Narviæ acceptum, horribilioremque, Magno suppeditavit; & suâ nihilominus spe fuit uterque frustratus.

Suis etiam Suecus, solâ commeatus inopiâ laborantibus, tempestivum laturus subsidium, regni Archithalasso cum instructissimâ in Oceano classem ablegato, mandat cum eâ in portu subsistere Revaliensium, donec omnibus horum esset necessitatibus provisum. Qui proindè re-

gium executurus mandatum , circa XXIX Septembris diem , in conspectu civium , hostiumque , jacit animosus anchoras , & factâ crebrò in continentem descensione , cum illis viriliter confligit ; interea plurimis eò confluentibus mercatorum aliundè navigiis , à quibus liberè merces importatæ , ac exportatæ cum maximo utrinque lucro . Hoc simul tempore præfatus Sueonum Admiralius , regias ad Moschum perscriptas XII . Septembris litteras , in castra hostium transmisit ; Quibus Rex Johannes admonuit serio Tyrannum , ut prioribus sibi legatis domum remissis , pro novis illuc propediem venturis , nimirum Johanne Laurentio ab Isnes Finlendorum Gubernatore , ac hujus comitibus , fidem daret publicam . Sed Moschus nimiâ victoriae inflatus fiduciâ , pacificum Regis Suetici annum stolidè contempserat .

Quâ Dani etiam occæcati vanâ nimium persuasione , & tacitâ cum Ruthenis conspiratione , plus æquo se animosos atque contentiosos Stetini medio temporis intervallo præbuerunt . Sueci propterea subveriti , nè si bellum cum Danis simul recrudesceret , armis utriusque obruerentur , cum his minus æquo conditionum tenore , in gratiam redire compelluntur . Quamobrem posthabito corrixationum fervore , Sueci & Dani , ab arbitris sedulò etiam concordia admoniti , XIII . Decembris die certis legibus amicantur . Quarum prima , ut pristina rediret , vigeret & floreret utrinque imposterum amicitia : Utrobique libelli supprimerentur famosi , nec amplius conficerentur vel spargerentur . Secunda , consveta inter Suecos , Danos & Norvegos , renovanda , frequentandaque negotiatio ; sicut etiam usitata Narviam permittenda omnibus navigatio . Tertia , fundi tempore belli legitimis utrobique possessoribus ablati , restituenterunt . Quarta , profugis ex uno in aliud regnum hâc pateret conditione refugium , ut ibi responderent adversario , & quod æquitas svaderet , utriusque administraretur . Quinta , mutua illa accusatio , violatæ transactio- nis , anno MDXLI . inter Scondiæ regna constitutæ , & mulctæ propterea solvendæ , odiosa haçtenus sollicitatio , imposterum omnino intermittendæ ; nè novum indè belli exoriretur incendium . Sexta , omni cederent Sueones suâ jurisdictione in Norvegiam , Sconiam , Hallandiam , Blechingiam , Gothlandiam , Herdaliæ præfecturam & Iemptiam ; ac suâ vicissim Dani quoad integrum Sueciæ regnum . Septima , Ecclesiasticam quoque jurisdictionem Sueones , quam seculis aliquot in Iemptiâ sibi usurparunt , Danis pariter assignarent . Octava , partem Livoniæ armis subactam , Sueci acceptâ sumptuum refusione bellicorum , Imperatori , velut legitimo illius domino , restituerent ; qui posteà illam Dano , quòd veterem ibi haberet quandam jurisdictionem , & frater ex Livonia reliqua non modicum hodiè possideret , sub tutelæ ac protectionis modo concederet , prout XXIV . Maji die proximo , Roschildiæ inter Cæsareos , Sueticos & Danicos , porrò effet hac de re transigendum Commissarios . Nona , controversia de Tribus Coronis , nisi antè Calendas Januarias anni MDLXXII . limitaneis in Scondia colloquiis foret dirempta , novo deinceps scrutinio Rostochii instituen- do submitteretur , & tandem arbitrio Cæfaris decideretur ; Interea verò utriusque Regum eas solum , non aliis regni alterius insignibus , liceret usurpare . Decima , Sueco Danus resignaret Elsburgum : Et ille vicissim huic navigia VIII . cum omni bellico apparatu , prout in navalí prælio forent expugnata . Undecima , cum Fridericus anno MDLXVIII . in gratiam Johannis contra fratrem belligeraturi , suam interimisisset expeditionem , grandibus præparatam sumptibus , & tantam neglexisset rei gerendæ occasio- nem , æqvum videbatur , ut hujus ergo beneficii hic numeraret illi centum

centum quinquaginta thalerorum millia, per sequens triennum totidem levanda terminis. Duodecima, quodvis inter Suecos & Danos obortum posthac dissidium, limitaneo dirimeretur colloquio, non gladio: tali quidem rigore, ut illi Regum subditi nullam tantisper exhiberent obedientiam, qui contumaciter æquitati esset adversatus, donec iustitiae satisficeret. Decima tertia, captivi sine lytro utrinque liberarentur. Ultima demum, ut XVI. Februarii die, hujus confirmatio transactionis in regnorum limitibus ab utroque rege invicem præsentaretur: Et tum simul temporis autographa paeti, anno MDLXVIII. Roschildiæ constituti, restituerentur; nè postmodum inde belligandi peteretur occasio. Et nihilominus Suecus ac Danus, Cæsarem & non paucos Europæ Reges atque Principes, adhibere cogerentur fidejussores, quòd hanc nullatenus prævaricaturi transactionem; sed in omnibus eam articulis fideliter executuri essent. Hisque Stetini consummatis & obsignatis, convivationibus aliquantulum indulgetur; ac tandem inde certatim catervatimque disceditur.

Anno MDLXXI. In aula constitutus Moschovitica, Sueticorum quidam interpretum Joannes nomine, causam magis Erici, quàm Johannis agit, gravibusque impellit Tyrannum rationibus, ut illi Ruthenicam propter amicitiam, regiis honoribus spoliato, & nunc Abogiæ captivato, subsidium liberacionis adferre non gravaretur. Nam Ericus post suum anno priore adventum Abo-giam, intelligens Magni consobrini promotionem, & Revaliæ obsidionem, clamque nactus interpretis præfati colloquium, cum Regis Johannis illac litteris ad Moschum scriptis Russiam versus pertranseuntis, huic veterum uni servitorum non difficulter perswasit, ut Ducis utriusque amicissimè salutati, capto imploraret sibi auxilium, & sanctè ipsis suo promitteret nomine, quòd ope illorum libertati, ac dignitati restitutus pristinis, se, regnumque vellet Sueciæ universum, imperio subjicere Moschovitico. Lubens autem consensit petitioni Tyrannus: Sed prius Revaliam & Livoniæ reliqum, Magno, vel sibimet potius armis subjugaturus, mense Januario, & Februario, illam per suum exercitum milite bellicisque machinis denuò auctum, longè vehementius impugnavit.

Cæterum Johannes Sueciæ Rex, ut pacis negotio quantocyùs cum Danis consummato, totam regni sui potentiam Moschis objiceret, Stockholmiae XXIV Februarii, suo, & fratri Caroli, procerumque Sueticorum sigillis transactionem obsignat Stetinem. Hæc porrò decreti confirmatio, Danis protinus præsentata, & alia vicissim Suecis inde oblata. Nihilominus verò hostis utramque continuat obsidionem; Et denique neutiquam se voti compotem fore animadvertis, inde statuit discedere. Ideoque ut securiorem haberet abitum, inducias ab adversariis flagitat: Et his non impetratis, clanculum in diluculo, XVI. Martii, quaquaversum dilabitur; ita quidem, ut Germani Harriam, & Moschi Finlandiam, suscepérint infestandas, quas velut tempestas fævissima, nimium afflixerunt, cladem vindicaturi suorum sub Revalia & Huitensteinio acceptam, ubi plus quam IX. millia hostium occubuisse perhibentur.

Nec propterea ferocissimus Moschi animus, tantâ nostratum cæde placatus, novam Finlandis Livonibusque molitur: Et illis quidem, ut simul amicum liberaret Ericum; Quod huic sincere pollicitus fuisset, nuncio Aprili mense, fiduciâ hujusmodi plenissimo, remisso. Ideoque per eundem fraudulenter Regi Johanni rescribens, perhibet se captos hac de causa ipsius adhuc tenere Legatos, quòd sui fuissent in Suecia minus humaniter tractati, & Suetici non essent dignati suam deponere legatio-

nem apud Novogardiæ Castellatum ; licet id priorum Regum oratores Sueticorum nunquam recusassent , ut ex variis liqueret transactiōnibus utrinque olim sanctis : Quas monet ut consulat Rex Johannes ; et si pacis cupidus foret , novis eō missis Commissariis , fide publicā gavisuris , nomine Finlandiæ cum Dynasta transfigeret Novogardeni , verū quoad Livoniam cum Magno hujus rege sibi conveniendum esse ; Quæcunque cum illis legitimè conclusa forent , se rata habiturum , & grata . Non dignans ipfem tantum se humiliare , ut cum Sueco ullos iniaret contractus , quod conditionis longè inferioris illum duceret .

Hæc vilissimus ille omnium in Europa Principum , barbarissimus & superbissimus , Johannes Basilius , non alio scripsit fine Regi Sueonum nobilissimo , gloriofissimoque , quām ut vel invitum protruderet in arenam , & indē Finlandiam invadendi , Ericum liberandi , Careliam , Livoniamque occupandi , acciperet occasionem . Quocirca immanissimo huic tyranno , bellandi & sangvinis profundendi tantoperè cupido , alium simul Deus hostem non minus crudelem objecerat , nempè Tartarum ; qui tempore veris , à Polono & Sueco forsitan instigatus , ipsam Moschoviæ regiam ferro flammaque ita vastavit , ut XXX. hominum millia gladio in ea hostili occubuerint . Quæ quidem incursio Tartarorum , Moschos à Livonum & Fennonum impugnatione paulisper domum revocavit , furoremque Tyranni aliquandiu refrænavit . Intereā temporis Rex Johannes decretum exequens porrò Stetinense , XIX. Aprilis promissam Dano resignat VIII. navium classem . Et Fridericus insuper VII. Junii die , LXXV. thalerorum millia primo numeranda termino nactus , Regi Johanni castrum restituit Elsborgense , cum omni supellectili , tempore deditio[n]is ante septennium ibi depræhensā .

Prius verò legati Sueonum cum Cæsareis & Daniçis Roschildiæ congressi , quid Livoniæ concluderint nomine , nec diū comperire poteram : Nisi quod Cæsar is legatus , Jonas Offenburger , ex Dania , ut existimo , reversus , Revaliæ XVI. Junii , senatum eodem super negotio compellaverit ; ignoroque simul cuiusmodi responsū indē reportaverit , quod hujus chronographus urbis illud malevolè suppresserit , nec historia id alia hactenus suggererit . Verū postea in colliminio regnorum , Sueci cum Danis de controversia trium coronarum , ex veterum monumentis , non tormentis , aliquandiu dimicarunt ; Et mutuo tandem consensu , aliquot annorum silentium , ut arbitror , huic litigio impendūm approbarunt .

In eodem pariter Suecorum & Danorum congressu atque confessu multifariæ sunt querelæ , mercatorum nomine de piratarum in utroque oceano excursionibus propositæ ; Et cū Scondiæ Reges sibi maris dominium vicini vendicarent , iisdem quoque protectionem Oceani , & hunc obnavigantium negotiatorum , meritò competere , fuit decretum . Ibi proinde fœdus inter Johannem & Fridericum , Reges , de tutela maris suscipienda , colluvieque piratarum & latronum , ex Belgio præsertim erumpentium , profliganda , & classe in Oceanum transmittenda , pangitur .

Quo etiā tempore cohortes Livonum equestres , Moscho & Hollato adhærentes , non minus prædationibus terram Estoniae infestarunt . In quas propterea mense Julio Carolus Henricius à Kanchas , cum CCC. Sueonum peditibus non expectatus irruens , Georgium Thisenhusium , cum sua equitum turma ex nobilibus Livonicis constante , tradidit internectioni , & insignes à cæsis retulit hostibus manubias .

Jam verò Suecus firmam cum Dano pacem nactus , & Moschum ad eandem

eandem, vel certè inducias utrinque prolixiores inclinatum iri ratus, licet frustrà; modernæ in regno mutationem religionis, veteri magis Ecclesiæ aliquantulum conformandæ, haëtenus animo volutatam, decrevit viriliter (sed pedetentim & subtiliter , nè illa tumultus, ut plerumque fieri solet, aliquos concitaret) modò aggredi. Itaque cùm intelligeret M. Laurentium Sueciæ Archiepiscopum, quem præcipue voti sui submetuit adversarium, Ordinantiam, ut vocant, Ecclesiasticam , seu jus quoddam Ecclesiæ Suecanæ Canonicum, & normam religionis Augustanæ ac Lutherañæ , diu compilasse , interque clerum regni ubique locorum publicasse; hanc sibi prius examinandam, & posteà typis publicandam, clementer deposit. Libro autèm frequenter & diligenter pervoluto , authori protinus accito, callidè persuasit, nonnulla suo adversantia magis proposito, expungenda , & alia quædam aditum suæ parantia molitioni , paginis esse inse-renda; sicut etiam ut libri fateretur Epilogo , plurima in eo adhuc desiderari opusculo , quæ temporis progressu successoribus inferenda relinqueret. Porrò quæ Archipræsul suasu Regis modo inseruisse videtur, ea in primis sunt, quòd in ipso confiteatur proloquo, S. Ansgarium sub Berone, anno DCCCXXIX; B. Sigfridum sub Olao, anno MXX; S. Adalvardum sub Stenillo, anno MLV; & S. Henricum sub B. Erico, MCLIII. Sueonum regibus, veram patriæ nostræ doctrinam Christi annunciasse; Licet hanc fuisse Catholicam, omnes constanter veterum Scriptores, immò & ipse met idem alibi suis libris M. Laurentius, contestentur. Alia in ipso passim opere deinceps inserit dogmata, Catholicæ convenientia fidei : Nimirum quòd scripta SS. Patrum, paginæ Sacræ veraciter intelligendæ, subservirent; Fides cum bonis operibus pro concione auditoribus esset inculcanda; Quòd in baptismo infantibus administrando, exorcismus , velut annis MCCC in Ecclesia usitatus , sal, lumen, vestis candida & crucis signatio, non essent intermittenda , licet adiaphora existerent; Quòd memoria sacrificii , à Christo in cruce oblati, in Missa renovaretur , frequentareturque ; Quòd in illa Anadixis, seu elevatio sacramenti Eucharistici, & lumen interdiu, non essent antiquanda; Quòd plura quam unum, in Ecclesiis urbanis & Cathedralibus , Altaria essent toleranda ; Quòd Exomologesis privata, seu confessio auricularis, hanc expetentibus hanc esset deneganda , nec sub pœna graviore revelandum ipsius sigillum ; Et demum, præter alia non pauca , minoris tamen momenti, ut agonizantibus lumen porrigeretur.

Reliqua verò hujus libri materies, communem Protestantium doctrinam de fidei articulis , & ceremoniis compræhendebat. Alia etiam controversia hoc tempore inter Ecclesiasticos Sueoniæ viros magnoperè servebat ; nimirum an matrimonia inter patruelis, confobrinos vel amitios contracta, forent licita? Cui præbuit occasionem disputationi , prænobilis vir Ericus Gustavius, qui raptam materteræ filiam sibi conjugem junxit: Et ut facinus , quod plerisque in regno videbatur execrabile , quodammodo excusaret, ab Evangelicis Germaniæ Academiis, sententiam suo patrocinantem connubio , impetrasset. Propter hujus itaque causæ ventilationem, & ordinariæ approbationem, provincialis Upsaliæ convocatur modo Synodus. In qua coram toto regni clero, Archiepiscopus hujusmodi prorsus matrimonia semper in Ecclesia Dei fuisse illicita, firmissimis adnixus est probare rationibus. Illustrum tamen hominum precibus Rex & Archipræsul diu , multumque fatigati, tandemque superati, tale approbant hac solum vice conjugium; minaciter prohibentes, ne quispiam imposterum simile præsumeret contrahere matrimonium. Sed regius postea filius, Johannes Ostrogothiæ Princeps, paternum transgrediens edi-

edictum, non paucos hoc nostro infelici ævo sectatores, prò dolor, obtinuit.

In präfata deindè Synodo, clerus prælectam Ecclesiæ ordinantiam, tanto animorum consensu approbavit, ut pro se, successoribusque sanctè sponderet, illam in patria, velut certissimam religionis amissim, perpetuò imposterum observatum iri, ac typis propterea quantociùs evulgandam. Quibus præsentes Regis legati, non illubenter subscripserunt pariter decreta. Ibique præterea edictum prodiit, quo aliam quam hujusmodi religionem profitentibus, regno intra spaciū anni excedere mandaretur. Ipse met quoque Archiepiscopus, abituentem seriò hortatur clerum, nè istam desereret unquam doctrinæ normam infallibilem; & ab illo vicissim rogatus, ut suam de omnibus fidei articulis confessionem, libro comprehendere non gravaretur. Qui lethali quamvis jam morbo foret correptus, tamen petitioni assentitur. Atque hinc invaluit pôsteà consuetudo apud Sueciæ clerum, ut cum puram putamque velint religionis indicare synceritatem, ad illam provocent semper doctrinam, quæ ultimis sub Rege Gustavo annis, & primis sub Rege Johanne, in patriâ floruisset.

In hanc verò molis partem non secùs quam in Babyloniae turrim, primum, Rege connivente ac forsitan jubente, facturus impetum Johannes Herbestus, Catholicus Reginæ concionator, scriptos divulgat protinus commentarios, quibus probare conatur, veros in Suecanâ non esse Sacerdotes Ecclesiâ, quandoquidem non legitimè vocati vel ordinati essent; & proindè nulla ibi vera existere Sacra menta, præter baptismum. E contra plurimis demonstrat testimoniis, eadem syncera in Catholica inveniri Ecclesia; & sacramentum quidem Eucharistiæ, tantum sub una, quantum sub duabus, continere speciebus. Nec illam propterea repræhendendam, quòd Divorum interpellatione in precibus uteretur quotidianis, vel fugiendam. Nec scriptos hoc de negotio libellos Herbestus sparsisse contentus; etiàm impressos alibi terrarum, & huc invectos, cumulatim inter Sueones disseminat; simulque ore fulminat in suis identidem concionibus.

Quamobrem novo graviter indignatus adversario M. Laurentius, regni Archipræsul, licet senio, morboque foret nimium implicitus, tamen in sua ipsem corporis ægritudine, amarulento ex libris Martini Lutheri ac Martini Kemnitii responso concinnato, eum impugnavit. Herbestus verò, quoad superstes fuit Archiepiscopus, nihil quicquam attentavit amplius, quòd tumultus in regno hinc suborituros non obscurè prospiceret. Interea Upsalenses Academici mandato Archipræsulis, Martini Cromeri Catechismo, inter se partito, respondere satagunt; qui ab Herbesto dispersus, à non paucis Sueonum cum aliis libris Catholicorum volvebatur.

Cæterum XVII. Julii Moscho Johannes respondens, demonstrat ex vetustis regni historiis, Reges Sueonum illo solùm tempore cum Nogardensium domino, pacis vel belli actiones habuisse, quando sui esset juris, non alieni, prout modò existeret; Propterea non cum isto, sed supremo rotius Russiæ domino, Johanne Basilio, se, velut Sueoniæ Monarcham, transigere vel configere paratum: Quanquam pacis esset amantior. Ad hanc simul hortans adversarium, & demonstrans æquam ipsum non habere causam Suecos impugnandi, nec propter legatos male hic mulctatos, cum tumultus tempore præter ullam id Principum culpam contigerit; & tamen conveniens damnorum illis satisfactio deferatur: Nec etiam ob Livoniam, quòd ea in nupero Stetini conventu Cæsari adjudicata, non amplius ad Suecos pertineret: Nec demum propter captivatum regem Ericum, cum haud odio amicitiæ Moschoviticæ esset ipse traditus custodiæ; verùm propter enormia quæ in patriam commisisset flagitia. Ideoque his submotis, prout nul-

nullius momenti, obstatulis, si æquis cuperet pacem conditionibus inire, priores Sueonum Commissarios remitteret, & alium pro novis eò legatis hinc venturis transmittenet salvum conductum, intraque diem Michaëlis Archangeli se resloveret, bellumne mallet, an pacem? Et si hanc; sub ea simul compræhensurus ditiones, munitionesque quas in Livonia modò Sueci tenerent, & tenebunt, donec belli sumptus ipsarum defensioni diu impensos, Imperator Romanorum, vel Rex Danorum, fideliter persolvissent.

Non tamen obscuro prospexit Rex Johannes oculo, bellum sibi à Moscho inferendum; Et ut in illo fideliora fratri Caroli subsidia experiretur, Calmarniæ XXIX. Augsti, bina Vestrogothiæ territoria, scilicet Vasbogense & Vallense, fraterno adjecit Ducatui, concedens ut ipsis juxta paternæ donationis, testamentique vigorem, nullis indè militaribus regno factis servitiis, frueretur; È tamen conditione, ut suo cederet jure, quod in Oeseliam, & castrum sibi vendicaret Sonnenburgicum, nec vetera exigeret ulla debita. Sicut etiam, si Dux Ostrogothiæ, Magnus, pristinæ mentis redderetur integrati, ut ipsi tanquam legitimo domino, præfatam restitueret provinciam.

Moschus autem Sueci necedum nactus literas, iterum ipsi perscripsit, asseverans se Catharinam postulasse, quòd maritum in carcere mortuum falso intellexisset, & Polonus illius frater secum bellaret. Velut etiam denuò exaggerans suorum in Suecia Oratorum mulctationem, & nostrorum coram Novogardeni Castellano arrogantiam, cum ipso pacis negotium concludere contumaciter detrectantum. Tandemque interminans, ut nisi Suecus ante Calendas Octobris, aliis eò missis Commissariis, cum Dynasta Novogardeni transigeret, & ità placaret iratum hostis animum, se ferro, flammisque insulas populaturum Sueticas, nostris secum legatis simul adductis, & à Rege Johanne ipsomet quæsitum, cur alienis in suo regno Compromissariis tantum injuriæ permisisset irrogari?

Quo tempore Johannes Tuvius, & Elardus Krusius, nefarias Moschi adversus nationem Livonicam factiones, machinationesque, apertis primùm oculis contemplati, perfidiam illius summoperè detestantur, & datis ad Revalienses literis, eam detegunt, ipsorum laudantes prudentiam, & suam vituperantes, excusantesque imprudentiam, quòd fallaciis seducti Moschoviticis, Revaliam, & reliquum patriæ, erudelissimo Tyranni dominio subiicere toties maximo conatu, irrito tamen per Dei gratiam, laboravissent! Itaque mutatis, licet serò, animis, Livoniam illi paulatim subducere statuerunt; & Derpatum in primis occupaturi, Renoldo à Rosen, ac hujus equitum turmæ, illud secretò negotium committunt. Sed his Rutheni, urbem præsidio tenentes, prævalent, & adversariis crudeliter maqtatis, in cives desæviunt innocentes. Tuvius verò & Elardus, indè absentes, formidine merito conceptâ, in Lithuania profugiunt; Illumque Proceres Lithuani protinus in Sueciam allegant, infidias Regi Johanni Ruthenicas tempestivè manifestatum. Ipse met etiam Livoniæ Rex sibi Magnus submetuens, licet hujus non esset factiosus socius, ex Ofverpalia, ubi moraretur aliquandiu, Arensbergum festinus secessit; A profugoque ità domino illæ cohortes equitum derelictæ, quæ priùs castrum Sueco Revaliense, Kurselii suasu, eripuissent, nec in Polonia, nec Suecia, & multo minus haberent in Russia modò refugium. Harum nihilominus Rex Sueonum clementissimus deinceps misertus, quandò bellum cœpit Moschoviticum, pristinæ illas gratiæ restituit, honoribusque in militia consuetis.

Interea porrò Dux Magnus novâ cumulatur mœstitiâ , pariterque hujus germanus frater , Danorum Rex , Fridericus , matris obitu Dorotheæ intellecto ; quæ VII. Octobris vitam cum morte permutavit , & in primis Sunderburgi , posteà verò Roschildiæ magnificam corporis requiem obtinuit. Nec multò ante Tyrannus Moschoviæ , Suetici Regis adeptus litteras , his mense Octobri admodum impudenter respondit. Scribit etenim , cum Rex Johannes humillimo esset genere ortus , ex villa scilicet quadam Smalandiæ , se plurimum demirari , quamobrem suæ oblitus originis , tantoperè superbiat , ut cum Novogardensi Castellano (qui ex nobilissima oriundus Principum familia Ruthenicorum , Lithuaniae & Polonicorum , longe illum dignitate præcellat) pacificæ negotiū transactionis non dignaretur suscipere ! Ideoque ut sciat Johannes , se cupere ; quòd sicut is existimat impossibile , ut uxor Catharina in Russiam aliquandò nuptum transmitteretur ; vel , ut sublimia cœli teata , humilibus terræ spaciis quandoque copularentur : Ità prorsus adynton esse , ut Suecus pacis evaderet compos , nisi hanc cum Nogardensi fanciret Dynasta , nomine Finlandorum ; Et nomine Livonum , cum Rege Magno , cuius pater non ità pridem fuisset dominator totius Sueciæ ; Ut præpotens ille Jaroslaus Georgius , olim annis centum Nogardiæ ac Finlandiæ , Sueciæque tenuisset imperium. Propterea honorificum foret tam ignobili Sueonum Principi , cum illustribus adeo dominis , quales Magnus & Nogardensis Castellanus , sancta pacis fœdera modò pangere. Nec præterea se multum curare memorat , quod Cæsar & Gallus , aliique Principes Europæ , dignarentur ipsimet cum Sueco pacisci ; Ut neque quòd Poloni esset sororius , cum quidam ducalis in Russia quondam Magister stabuli , germanam Jagellonis , in Lithuania & Polonia tunc dominantis , uxorem habuisse depræhenderetur. Demum insolentissimam claudens epistolam , legatis Sueci Novogardiam mittendis , securitatem ultrò ciroque commeandi concedit , suos deinceps in Sueciam expediturus , mandans ut coram his Rex Johannes osculo crucis ipsemet pacis roboret statuta , & cum regni Archiepiscopo , Finlandorumque Episcopo , sigillis illa roboret ; Isto non alio , horribilem Moschi vultum , modo placaturus . Atque cum diutius responsum prorogaretur , in Decembri novis significat litteris , se ditiones Sueciæ finitimas omnino invasurum , nisi suos Rex Johannes Novogardiæ haberet oratores ante Februarii Calendas , & per hos gratiam obtineret. Quibus Moschus , aliisque superbiæ intolerabilis scribendi modis , funestissimi præbuit belli , quod illos posteà secutum , largam nimis occasionem.

Anno MDLXXII. ineunte , vel superiori potius exeunte , Moschus exercitu stipatus aliquo Novogardiam ingreditur , & novis Suecorum Commissariis ibi non depræhensis , prioribus , quos unà secum adduxerat , sequentes per suum Cancellarium pacis conditiones proponit :

Quarum prima , ut culpam Rex Johannes deprecaretur , ob spoliatos & debones statos in suo regno Legatos anteà Ruthenicos , insuperque X. millibus thalerorum multaretur .

Secunda , Moscho divitem alicubi locorum in Suecia permitteret Rex Johannes argentifodinam , aut peritos bujus in Russia inquirende illi submitteret magistros .

Tertia , quos Principum Moschus pro amicis vel inimicis suis reputaret , eosdem pariter Suecus , (qui præterea ex arbitrio Moschi pendere obligabatur) sive bellum cum aliquo , sive pacem suscepturus esset .

Quarta , Moscho cum hostium aliquo , Polono vel Dano , Tartaro vel Turca belligeraturo , M. pedites , & D. equites , in auxilium subministraret ; quibus salaria , non cibaria provisurus , propriumque cum illis filium , vel Procerum aliquem Suecorum , pro Ductore , potissimum mutteret .

Quin-

Quinta, ut ipsem quidem Rex Sueonum, consveto frueretur pro voluntate titulo; sed optimates Sueici ex solo Moschi prescripto.

Sexta, insignia Sueciae Rex Johannes eleganter expressa, Moscho quanto-
crys presentaret; que Ruthenicis inserta, imposterum usurpaturus esset.

Septima, si morigerum in his Suecus, citra ullam tergiversationem, se preberet, & ipsius actutum Oratores Novogardie supplices comparerent, proprias hisce aures se porrecturum.

Octava, sin verò Suecus Revaliam, cum omnibus, quas in Livonia seu Estonia hodie obtineat, ditionibus ac munitionibus, sponte Moscho assignare, nec amplius illas affectare vellet, presatis omnibus fermè conditionibus exclusis, tolerabilioribus cum Rege Johanne legibus, se pacem initurum.

Nec pactis hujusmodi nimium impudentibus aliud nostrates responderere ausi, quam Regem ipsum super his consulendum, & proinde mittendos in Sueciā articulos. Responso autem legatorum Tyrannus assentiens, VII. Januarii simul Regi Johanni perscripsit, quod in procin-
gu fuisset, ut Nogardiā cum suo exercitu in Finlandiam & Estoniam excursionem faceret; Atqui suorum deprecatione consiliariorum, illam usque festivitatem Pentecostes suspendisse, ut interea Suecus, missis Novogardiam aliis Oratoribus & deprecatoribus, propositis satisfaceret conditionibus, pacemque obtineret. Mandat igitur pro imperio, ut istâ temporis intercedente, Rex Johannes vicissim in Livoniâ cessaret ab armorum molitionibus; Illum satyricè cavillans, quod nuper scripsisset Cæsarem sumptus bellicos Suecis refusurum, & dominum Livoniæ futurum.

Tantâ porrò Moschi arrogantiâ, fautores Regis Erici, passim in Suecia occulti, non parum animati, eum propediem armis Ruthenicis liberatum iri confidunt; indeque quidam illorum provocati, XXIV. Aprilis Upsaliam, & postridie inflammariunt Enecopiam: Ac nisi tempestivum his Rex Johannes incendiariis posuisset obstaculum, excubiis in qualibet ordinatis civitate, plus damni flammis intulissent. Subveritus etiam Rex Johannes, nè Moschus opinione citius Abogiam excurrens, Ericum indè liberaret, captivum hoc, ut reor, anno, in Sueciā remisit, in castro Griphisholmensi, & Arosiensi, aliquandiu sub arctissima detinendum custodia, demumque in Oerbygensi longè vigilantiū obser-
vandum. Initio autem veris, Moschus iterum profectus Novogardiam, quod novi Sueonum legati non ibi occurserent, plurimum indignatur, & mense Maijo de illorum absentia cum Rege graviter expostulans, huic significat de suo Novogardiam reditu; Et quod suum in Finnones Livonesque furorem, sicut flamas effudisset inextingvibles, nisi filiorum precibus, Suecis compatientium placatus, hujusmodi adhuc infestationem suspendisset. Eâ quidem spe, quod Suecus etiam suorum misertus, mandatis tempestivè obtemperaret, & tantam se humiliando protelaret regni sui calamitatem.

Sed cum neque his, neque aliis in Junio iterum datis ad Suecum literis, aliquod obtineret responsum, bellandum sibi animadvertisit; Prius tamen Magnum, personatum Livoniæ regem, magis inescandum censet, ut sub prætextu iterum Magni ad thronum Livoniæ promovendi, facilius Livones subiiceret. Is proinde blanditiis Moschi denuò infatuated, & in Russiam sub spe conjugis, magno Duci cognatæ, septemque cum ipsa præcipuarum in Livonia munitionum certo certius obtainendarum, honorifice ac magnifice vocatus, illuc festinus advolat.

Cæterum Fridericus Magni frater, Danorum Rex, modo sponsam

habuit Sophiam, Udalrico genitam Duce Megapolensium; horumque celebrantur nuptiæ, regiâ prorsus magnificentia Hafniæ, XX. Julii die. Ipsas verò Erasmus Letus, Scondicorum facile princeps Poëtarum, insigni deinceps Epithalamio decoravit.

Ast XVIII. Julii dies, Sigismundo Polonorum Regi, lethalis, non nuptialis, fuerat, quod illo vivis excesserit. Orbusque Poloniæ thronus, non paucos exemplò assequitur competitores; quorum inter primarios fuit Johannes Rex Suecorum.

Is post dies exinde XIV, copiosis mendacia, & postulata Moschi fallacia, litteris confutavit; inprimis demonstrans, tam paternum quam genus maternum, se à potissimum Europæ Regibus, vetustissimisque non interpolatâ traducere serie. Nec minus simul evidenter ostendit, Christianum Daniæ, non Sueciæ, dominum fuisse; Et Jaroslavum Nogardiaæ Principem, generum Olai cognomento Scotkonung, Suetici olim regis, non Sueciæ gubernatorem extitisse; ut neque Jagellonis sororem, Magistro stabuli ducalis in Russia unquam nupsiisse, luculenter probat. Postea superbissimas pacis ventilat, exsibilatque conditiones, afferens inter alia, Moschum tanto jure Sueonum affectare insignia, quanto Cæfaris Romani, per summam nuper impudentiam, sibi arrogavisset. Immò se nullam pacis mentionem audire contendit, nisi Moschus suis prius Oratoribus huc transmissis, inter alias concordiaæ leges æquiores, promitteret à semetipso, pacem utrinque factam, osculo crucis roborandam.

Modò enim Rex Johannes immensum habens sub vexillis exercitum, minas nihili facit Moschoviticæ, & ipse, Carolusque frater, suis Revaliam, hostes magnoperè formidantem, nunciis ablegatis, incolas plurimum consolantur, spondentes quod ibi Calendis Augusti, multa pugnatorum millia propediem illuc, Principe Carolo Ductore, forent ventura: Itaque mœstitia in lætitiam subito quidem fuit conversa. Sed brevis admodum extitit, siquidem post temporis paululum, alias eò nuncius adveniens tristissimus, sparsit: Ducem quibusdam de caussis Regi offensum, illâ supersedisse profectione; proptereaque modicam exercitus partem contra hostes modo illuc venturam. Indè autem quantum postea detrimenti non Revaliæ solum, ast etià toti accidit Livoniæ, ac Finlandiæ, immò & ipsimet Sueciæ, contextus historiæ sequens liquidò testabitur. Ex quo simul constabit, quod multam indè suspiciorum Rex Johannes materiem acquisiverit, & hanc propter tacitis fratrem odiis diu molestaverit.

Porrò Moschus Sueticas necdum adeptus litteras, XI. Augusti, suis minatur denuò se bellum Finlandis & Estonibus, proximâ illaturum hyeme, nisi Suecus interim monenti salubria obtemperaret: Nam solito audacior nunc fuerat, quod cum Polono & Tartaro, aliquot effet annorum paetus inducias. Suis proindè rebus Rex Johannes, externo etià milite comparato, consulturus, Carolo Mornæo in Scotiam ablegato, istud commendat negotium. Notissimus fuit is quæ Scotæ, quæ etià Anglæ, quod sub Erico Rege frequenter utrobique splendidâ functus effet legatione, priorisque domini cupidissimus liberandi. Nec istum Caroli animum ignorans Elizabeta Angliæ Regina, & non minus Erici, velut amantissimi quondam sponsi, compatiens, præfato Regis Johannis legato haud difficulter perswasit, ut cum Scotticis in Sueciam reversus cohortibus, trucidato Rege Johanne, in pristinam Ericum, peregrini militis auxilio, restitueret dignitatem.

Hujus autem factiōnis Rex Johannes omnino ignarus, Sueticum ex

ex regno in Livoniam transmisit exercitum, quem Claudius Achatius, & Pontus de la Gardia, sub vexillis ducebant; Cum illoque Revaliam VII. die Septembris delati, conjunctis Estonum cohortibus, mox in hosticum excurrunt, & Vesenbergenses, Ofverpalenses, atque Arensbergenses plurimis afficiunt cladibus, tandemque in ipsam, per ditionem Viburgensem, effusi Russiam, in incolas horrendum desæviunt, & Revaliam, grandibus onerati prædis, redeunt.

Interea temporis Rex Johannes domi factus certior, quod novus in Polonia Rex proximo veris initio foret Varsaviæ designandus, & simul a fautoribus ad expetendum pariter illud regni axioma, instigatus, illuc mense Octobri suos expedit legatos; Per quos Ordinibus spondet Polonicis, immunitatem religionis, & quarumlibet libertatum, privilegiorum, consuetudinumque; vicissim sibi, & sociis, eandem reservans. Iliis præterea defert perpetuum cum regno Sueciæ in hostes fœdus, mutuumque terrâ & mari auxilium, ut Polocia & Smalenschovium restituerentur Lithuaniae, Finlandiaeque simul limites proferrentur. Condonationem quoque dotis propter nuptias, argenti Regi Sigismundo mutuati, & hæreditatis uxori post nuperum fratris illic obitum, competentis, velut etiam sub Polonia, Estoniae offert incorporationem.

Exercitus porrò Sueticus aliquantulum Revaliæ hactenus refocillatus, XVI. Decembris, Ofverpaliam versus contendit expugnandam, & ipsem paulisper excurrens prædatum, belli machinas, pulvrem tormentarium, pilasque, cum aliis impedimentis, rectâ Ofverpaliam transmittit. Verum Johannes Boijus, Huitensteinensium Castellanus, subveritus nè Moschi, factâ vicissim excursione, bina illa, cum reliquo belli apparatu, interciperent tormenta, ex castrensi sua cohorte tot emiserat milites machinis subfido, ut quinquaginta solum retineret, & imbelles D. agricolas, ibi hostium metu quærentes refugium. Campiductores etiam interea castrametati sub Ofverpalia, D. remiserant equites Germanicos, seu Livonicos, pro tormentis eò securius adducendis; Licet nihilominus in hac essent prorsus opinione tam illi, quam Revalienses, & Huitensteinenses, sicut etiam reliqui Estonum, quod Moschus Suetici grassatione ibi passim exercitus, omnino perterritus, non auderet progredi, vel Estoniae aggredi. Quâ plurimi falsâ nimium persuasione decepti, relicti munitionibus, domum relabuntur, solennia Natalis Dominici, genialiter cum amicis peracturi.

Enimvero Moschus, nè per somnium quidem tantillam nostratium, V. solum millibus constantium horrescens potentiam, cum LXXX. pugnatorum millibus ipsem, duo filii, & Dux Magnus, eodem advenierant tempore Vesenbergum, ut Suecos ex Livonia omnes profligarent, & hanc omnino subjugarent. Quando illa equestris turma pro tormentis missa deducendis, hostem intelligens imminentem, Huitensteinum configit, quam Boijus, Kurselianas subveritus insidias (quamquam præsidio magnoperè indigeret) non audet intromittere. Ibi proinde exclusi equites, ad machinas contendunt, in Nova aula V. Revaliæ millibus distante adhuc manentes, & modico admodum præsidio gaudentes; ubi simul poculenta, esculentaque naeti copiosa, reliquo destinata exercitui, se commessionibus accingunt.

Moschus vero sobrie rebus suis invigilans, cum intelligeret tam raro Huitensteinum subniti præsidio, actutum copiis illuc traductis, XXVII. Decembris cœpit illud oppugnare. Simul etiam quid alibi hostes agerent exploraturus, V. millia equitum emisit protinus in Harriam

& Jerviam, Sueco parentes, qui nostros vino somnoque in Nova sepultos aula nocte fermè oppressissent, nisi beneficio vigilantioris cuiusdam ex commissariis paulo seriùs excitati, arma corripuisserent, & uno hostium capto, in fugam reliquos abegissent. Quando ex captivi relatione, Moschum tantâ potentia Huitensteinum obsidere cognoscentes, tormenta exemplò deferunt, & cum illo per devia festinant Revaliam; Ubi non minùs insperato hostium adventu omnes timore horroreque percelluntur, & inde Campiductores de Moschovitica pariter informati potentia, eò deinceps cum agminibus revertuntur. Sed exploratoriæ hostium cohortes Harriam Jerviamque pervaagatæ, incolas conviviis passim indulgentes, nihilque omnino periculi metuentes, bonis spoliant, cædunt, & multa horum millia in miserrimam abducunt servitutem.

Anno MDLXXIII. Calendis Januariis, Tyrannus Huitensteinio violenter potitus, nec sexus nec ætatis habitâ ratione, quotquot hominum ibi deprehendisset, crudelissimè mactavit, & ipsum castri Præsidem Johannem Boijum, alias Sueonum & Livonum non paucos, verubus miserabiliter alligatos, lento assavit igne, donec animas exhalarent. Hac autem recenti Moschus victoriâ inflatus, VI. Januarii literas solito impudentiores, in regiamque contumeliosiores familiam, Regi Johanni perscripsit, quarum mendacissimum illi Dux Magnus suggesisset argumentum. Post quintum deinde diem Novâ aulâ prorsus devastatâ, ibi plusquam CCC. hominum trucidavit, & reliquos genere nobiliores, cum præfatis belli machinis Vitenstenium perductos, igne, fumoque fríoxos necavit. Sed paucis ante diebus, cæterum belli apparatus, inde Revaliam, non citra vitæ discrimina, transtulerunt Sueones, & tormenta etiam hostibus erupturi, subsidiumque suis in Nova aula laturi, XIV. Januarii, cum toto illuc exercitu perrexerunt Polemarchæ: Serò autem nimis, cùm ex capto in villa civitati propinqua Rutheno, mox cognoverint infortunium lamentabile Vitenstenensem, & in Nova mortantum aulâ, idemque sibi formidantes eventurum, festini remearunt.

Interea temporis Moschus suo firmat præsidio Vitenstenium, & reliquum postea exercitum tripartitò dividens, cum una ipsem turma, filii, & Dux Magnus, Novogardiam regrediuntur; Alterâ Karchusium missâ expugnatum, minis illud à Sueonum quibusdam extorserat, quod Magno Tyrannus, velut affini propediem futuro, in feudum mox assignavit; Tertiâ verò in Vichiā excurrens, sub Lealia, Ledio & Habfalia, prædatur accolas; Spe tamen suâ de spontanea arcium deditione frustratur, cùm ipsas Sueci, nullis hostium territi minis, animosè defenderint. Quocirca Vichiæ misertus Claudius Achatius, cum modicis illuc properat cohortibus, & XXIII. Januarii, sub Ledio in hostem incidens, prodromis mandat copiis ipsum invadere; Quæ densissimos Ruthenorum cuneos permensæ, nec regredi audentes, turpissimam arripiunt fugam, & committones modo longè pauciores, hostibus objiciunt mactandos. Hâc tamen Livonum defectione Sueones animis non prorsus consternati, licet DCC. solum essent universi, nimirum DC. equites & C. pedites, XVI. millibus hostium audacter congreguntur, ac Divinis, non humanis viribus, potiuntur victoriâ, VII. millibus illorum occisis, reliquis fugatis, & plus quam mille carpentis, multifariâ onustis prædâ, captis, præter alias non ignobiles profectò manubias mortuis detractas, & Revaliæ cum reliquis exuviosis non sine lucro postmodum divenidas. Verum Claudius tantam adeptus victoram, cum triumpho ingreditur Revaliam, præcedentia contemplans vexilla, tormentaque numero plurima, Ruthenis Divinitus omnino erepta.

Quâ

Quâ Moschus suorum clade nonnihil animo perturbatus, Novogardiâ Calendis Martiis proprio in Sueciam tabellione cum litteris transmiffo, mitius cum Johanne agit de pace instauranda, obsecrans clementer & vehementer, ut novos, prioribus jam receptis, eò Commissarios mittere haud gravaretur: nullis amplius injuriis afficiendos, sed benevolè fuscipiendos, audiendos, & absoluto pacis negotio dimittendos, publicamque simul illis securitatem concedens, ac instanter petens demum, ut Suecorum arma interim quiescerent in Livonia, quod etiam suis ibi militibus se confitetur imperasse. Nec tamen interea dum hinc responsum præstolatur, ab aliis Estoniae decipiendi, & sibi fraudulenter devinciendi modis, prius inchoatis, & nunc consummatis, cessandum ratus, Novogardiæ quartâ post festivitatem Paschæ septimanâ, Magno Livonum Regi larvato, suam copulat agnatam, nomine Mariam, ex patruele natam, nuptiis horum immenso celebratis tripudio; Quibus ipsem cum filiis duobus, & Procerum non paucis interfuit, insuetamque præ se tulit mentis hilaritatem, ut præsentibus & absentibus persvaderet Livonibus, horum ac Germanorum quorumlibet se amantissimum, sceptrumque novo affini Livonicum deferre paratissimum, dummodo incolæ beneficium agnoscerent, suis commodis ipsimet pariter consulerent, & Regem sponte fuscipere diutius tam contumaciter nollent tergiversari.

Ast Johanni Suecorum Regi suum non animis fucatis quidam modò Poloniæ Optimates thronum obtulerunt, & mox post Regis Sigismundi obitum, has Andreæ Lorichio, Candidati perpetuo ibi Legato, suggererunt rationes, quibus uteretur in causa Domini sui deinceps in ordinum conventu promovendâ. Inprimis autem probant Regem Johannem, reliquis præferendum competitoribus, quòd uxorem, filiumque ex ipsa, haberet Jagellonicos, proximos sceptri velut hæredes; Quod peculiaris Divini verbi, pietatis, honestatis, justitiæ, clementiæ, patientiæ, & nationis Polonicae, cuius & sermonem calleret mediocriter, foret amator; Deinde quòd habitu, vultu, & verbis, regiam prorsis Majestatem exhiberet; Quòd præter insignem liberalium artium scientiam, plurimam haberet rerum experientiam, & peregrinarum cognitionem lingvarum; Quòd moderatè vicibus fortunæ uti probè sciret; Quòd bellis fortunatus, Moschum utriusque regni potentia facilè domitus esset; Polociam & Smalenschoviensem Ducatum Lithuaniae non difficulter redditurus; Ac interim Narvicâ hosti ademptâ per Oceanum negotiatione, multis illum incommodis affecturus, ad pacemque tolerabilioribus Poloniæ conditionibus, ineundam compulsurus; Denique quòd Estoniam Poloniæ esset paratus incorporare; quælibet regno debita condonare; fœdus cum Turca non violare; Cæfarem & Gallum repulsam passos, negotio perfaciili mitigare; atque Polonis juxta legum præscripta, justitiam in omnibus administrare, immunitatesque & privilegia inviolate ac illibatè omnino servare.

Itaque Varsaviæ inchoatis hoc super negotio Comitiis, mense Aprili, Oratores Regis Johannis aderant, cum aliis Candidatorum legatis, nempè Cæsarisi Maximiliani; Ernesti Archiducis Austriaci; Henrici in Gallia Principis; & Tyranni Moschovitici. Cum autem IX. Maji die Regis Johannis electio in Senatu, & pleno Ordinum conventu proponeretur, Cracoviensis Palatinus copiosâ recensuit oratione præfatas huic competitori faventes rationes, tandem concludens eas propter Regem Johannem, aliis omnibus præferendum. Atqui mox Ratchovitius Procerum unus, surgens, magna cum impudentia & vehementia rationes adversarii nititur confutare, qui fœdissimis simul calumniis innocentissimum & præstan-

stantissimum, Nobilissimumque onerat Principem, non paucos Assessorum graviter offendens, quorum unus Podoliæ illustris Palatinus, Rat-chovitium protinus calumniarum convicit palam, & pœnâ calumniatori-bus constitutâ plectendum acriter contendit.

Nihilominus tamen insignis ille sycophanta suas impunè tulit imposturas, & Rex Johannes, partim ob hujusmodi calumnias, partim quod Cæsar Turcarum per binos successivè legatos, causam promovisset Henrici Valesii, & hujus quodammodo extorsisset à Polonis electionem, spe suâ frustratus, cognitisque calumniis, meritò indignatus, per alios postea legatos imposturas confutavit, & ipsarum authorem, vehementer, procul dubio, accusavit, quem à Rege Sigismundo deinceps multatum existimo, non assevero. Verùm XIII. Maji Henricus, Rex fuit Poloniæ sol-lenniter Varsouiæ renunciatus, & missò protinus in Galliam à Polonis legato, in regnum vocatus. Porro ut foris modò Rex Johannes famâ, itâ domi vitâ non minus periclitabatur; Nam hujus primordio æstatis, Carolus Mornæus cum Scotico reversus in Sueciam milite, dictam sceleris occasionem perpetrandi, Regemque trucidandi captavit: simulans illius Majestatis gratiâ oblectandæ, quandam advenas choream exhibere gladiatoriam paratos, illius impetravit consensum, & prodiens in theatrum ipsem, cum plurimis conjuratorum larvatus, strictoque gladio armatus, inter varios gesticulationum actus, dum præsentem & spectantem transfodere Principem aliquoties secum statueret, ita manus ipsi gravabatur, ut nequaquam potuerat ad tanti perpetrationem flagiti, eam sublevare. Rex Johannes etiam Divino admonitus instinctu, assurgit, & in suum sededit conclave; Quem licet sicariorum turba eve-stigio insecura fuit, machinatione tamen suâ nefariâ frustrabatur.

Post modicum verò temporis funesta hujusmodi conspiratio, cui-dam innotuit Scoto, Cahun nominato, qui, quod in Suecia hactenùs diu morando & militando, multam Regis esset benevolentiam expertus, uxoremque & liberos hic foret adeptus, Domini sui misertus, ipsi manifestat conspirationem. Sed cùm in judicio nullis posset conjuratos testibus convincere, vehementerque ab illis urgeretur, & legum rigore premeretur, ipsem fuit morti adjudicatus, ac, Rege nequicquam pro illo saepius intercedente, mox decollatus, quod conjurati, reliquisque ex Scotia miles, prius hosticum accedere contumaciter aversarentur. Quos nihilominus Rex Johannes suspectos habens, & propterea ex regno quantocius in Livoniam transmittendos, consultum existimans, quantâ potest festinatione partem salarii undequaque corradit, & nec profanis nec sacris parcens thesauris, etiam argenteos S. Erici Upsaliæ, ac Vaste-ni SS. Birgittæ Catharinæque permagni precii loculos, huc simul conver-tens, indè plurimum signat argenti, & Scottis numerat, protinus Re-valiam per mare ablegatis.

Cæterum inter alias hujus anni notas historicas, invenio, quod proximâ post allatos in officinam monetariam loculos nocte, copiosus admodum sangvis in area ceciderit subjecta, nec alibi locorum; Sicut etiâ quod plurimi hominum tanto stupescentes portento, illud militi prædixerint infortunium, quod ipsi postea contigerat. Hæc inserui Chronologiæ, prout ea inveni, à quodam fide non indigno scriptore annotata, Dei præscientiæ, & lectoris prudentiæ, hujusmodi ostentum committens ponderandum, ad responsaque calamus deflectens, quæ Suecus binis dedit Moschi literis. Quippe X. Maji prioribus respondens, comprobat suos progenitores & Majores, antiquæ Magnates nobilitatis,

ac maximæ in Suecia multis seculis fuisse Heroas authoritatis, potestatisque, ut immerito in tantos Moschus viros invehernetur; Ac propterea serio ipsum admonens, ut armis, non calumniis, more veterarum, decertaret imposterium. Postiores deinde IX. Junii adeptus paulò mansuetiores, transactis duabus septimanis, se primum super iis resolvit, in quibus Tyranni consentit petitioni, approbans cum hostibus de pace quidem colloquium, sed his conditionibus, ut Commissarii in colliminio regnorum convenirent, æquè multis ab utraque parte militibus stipati, & literis prius sponderet Moschus, quòd ipsemet osculo crucis, & aureâ bullâ transactionem hujusmodi roboratus esset, illico salvi conductus literas pro CC. personis destinans. Deinde minas Rex Johannes addit, contestans nisi pacis ipsemet conclusionem ita vellet confirmare, non se prius destiturum, quam ferro, flammisque illum eò compelleret æquitatis. Quòd verò memoraret suo mandatum militi, ut interea bello supersederet, illud abhinc triennio facere debuisset, ità plurima utrinque hominum millia modo viverent, quæ ha-
tenuis propter solam illius superbiam corruissent; Nihilominus tamen idem Suetico imperatum iri exercitui pollicetur, & tandem cum Tyranno expostulat, quòd Sueticos nullo jure detineret interpretes, ac tabellarios, Ingelbertum Nicolaium, ac Laurentium Bartoldium, affirmans Moschoviticos tantisper in Finlandia retinendos, quoad illi essent cum his permutati.

Isto etiam tempore Cleri agitur Stocholmiæ conventus, in quo præter alia Ecclesiæ negotia Suecanæ, fuit palam recitatus & approbatu, liber Archiepiscopi ægrotantis contra Herbestum conscriptus; Verum sub alterius nomine authoris, nempè M. Erasmi Concionatoris Regii, ut hic Ecclesiasten Reginæ videretur debellasse, quòd ipsos inter continua esset super hujusmodi materiis corrixatio. Attamen Gregorius XIII. Pontifex Romanus, Suecos adhuc sibi fore morigeros confidens, pro his, & simul Danis, Norvegis, Polonis ac Germanis, in urbe modo fundavit seminarium, seu collegium, ut in eo centum quattuor adolescentes ex iis collecti nationibus alerentur, religioneque, & multâ imbuti eruditione, in patriam reversi, idem popularibus dogma inculcarent.

Atqui mense Augusto miles Revaliam Scoticus appulit, V. milibus equitum, ac peditum constans, quorum supremus fuit Capitaneus quidam nomine Archibaldus, Comitis in Scotia Ruvinenis filius. Nec mediocriter hujus adventu militis Moschus perculsus, V. Septembribus novis obsecrat Regem Johannem literis, ut Novogardiaæ potius Commissarii, quām in colliminio convenienter, spondens nihil mali nostros ibi passuros, & conclusā illic transactione, suos vicissim legatos se in Sueciam, plenioris ergò confirmationis, transmissurum, simulque falso prætendens, se propterea Sueticos retinuisse interpretes, quòd cum Ruthenicam ibi linguam didicissent, obligati essent Sueticam vicissim nonnullos Ruthenorum docere; Tamen promittens negotio pacis conferto, illos cum aliis captivis Nobilibus & plebeis, libertate donandos, ac demum pōscens, ut induciæ ad proximam usque Pentecosten, utrinque instituerentur. Porrò Suecus suspectam nihilominus fidem habens Ruthenicam, ut ad pacem & bellum juxta paratus esset, Sueticum & Scoticum grandibus in Livonia sumptibus retinet militem, Germanicumque ibi equitatum ad militaria promptiore obsequia sibi redditurus, missis Revaliam Quæstoribus, argenteam suæ mensæ supellecti-

lem, XXVI. millibus thalerorum æstimatam, inter illos distribuit equites, pro stipendii residuo in pignus insuper habituros Habsaliam, Lodium & Lealiam, hac quidem conditione, ut nisi salarium hujusmodi ante proximum Baptisæ festum, ipsis numeraretur, potestatem haberent arces cum provinciis, alteri, non tamen Moscho, vel Duci Magno, divendere domino.

Archipræful verò Sueciæ, M. Laurentius Neritius, morbo nunc ingraevcente, ac morte imminente, per M. Erasmus submissè flagitat à Majestate Regiâ, nè sanam in regno doctrinam Christi ullis unquam pateretur Hæreticorum nebulis obscurari, hanc ipsi proindè commendans, & propter singularem quam hactenus de illa curam geffisset, prolixas Regi agens gratias. Nec Principi legatio & obsecratio disdiscuerunt, proptereaque Antistes magnoperè exhilaratus, animam libenter XXVII. Octobris, anno ætatis LXXV, sedis verò Archiepiscopalis, XLII, exhalavit. Hujus deinde funus eximia elatum pompâ festo Divorum omnium, in Basilica fuit tumulatum Upsalensi. Filias liquiternas cum uxore superstites, quarum una M. Laurentio Gotho, altera M. Olae Luth, Professoribus Academiæ Upsalensis; et tertia M. Abrahamo, Scholæ Stocholmensis moderatori, nupserunt. Mox verò secundum exequias, mandato Regis obseratur demortui Præfulis bibliotheca, quam M. Petrus Fætenius binis lustravit vicibus, antequam hæredibus assignaretur; Qui vetera majoris momenti documenta tam Ecclesiastica quam Politica, quibus fuit admodum fœcunda, in Archivum Reipub. transportavit. Nec etiam defuncto aliis Antistiti protinus fuit subrogatus, quod successor prius regio esset proposito nonnihil accommodandus.

Interim Revaliæ quædam efferbuit contentio, inter Carolum Monnæum, & Scotorum Capitaneos, in qua illi proditionem reprobrant, nec magis eam divulgant, suis timentes simul capitibus; Indè tamen postea sensim in vulgus emanans, ad regias post biennium penetravit aures. Cæterum XIII Decembris, Rex Johannes nuperis Moschi literis respondens, negat se legatos Novogardiam ullo modo transmissurum, fallacibus diutius fidendo postulatis. Ideoque si controversiæ vellet transactionem, & non regni sui vastationem, ille Commissarios in Sueciam, pro impetranda pace, quam ipsem primus fraudulenter esset transgressus, vel certè ad præfixum in limitibus locum, Sofstrebeck nuncupatum, ablegaret quantocius, & intereà induciis fruiturus postulatis, ad Pentecostes usque sollennia prorogandis.

Anno MDLXXIV. Rex Johannes expectatum diu multumque advenisse tempus considerans, nonnullæ in regno suo mutationi religionis magnoperè idoneum, illud minimè negligendum existimavit; Quandoquidem non Archiepiscopus solum nuper esset mortuus, qui præcipuum hujusmodi negotio posuisset hactenus obstaculum, sed alii præterea duo Sueciæ Præsules, nimirum Lincopensis & Arosiensis, non ita pridem è vivis migrassent. Ideoque vacantes posset modo cathedras, sui fautoribus propositi, cum non modico hujus incremento conferre. Atqui cum istius Regiæ molitionis nonnullam fecerim antea mentionem, nec quibus occasionibus aut rationibus Rex Johannes ad ipsam esset inprimis provocatus, ut neque qualem & quantam cuperet innovationem Augustanæ in Suecia confessionis, seu veteris reductiōnem religionis, hactenus manifestaverim, antequam ultra progrederar, hujus causas metamorphosis, velut ab ovo deductas, paucis complectar. Glorio-

Gloriosissimus ille Romanorum Imperator Carolus V. post dominatam armis Germaniam, anno MDXLVIII. ut multifariis & nefariis religionum bellis adhuc implicatam ac turbatam simul pacaret, indicetis Augustae Comitiis, ibi praeter alia Imperii negotia, quandam religionis formam, quae medium quodammodo viam inter Catholicos ac Evangelicos teneret, conscribendam curavit. Hanc verò difficulter à Pontifice Romano comprobata, & per discordes in dogmatibus civitates Germaniae superioris inferiorisque mox publicatam, mandat incolis & accolis tantisper observare, donec religionis propugnatores utriusque in Concilio congregati Tridentino, & concordati, eandem vel aliam Apostolicæ conformem Ecclesiæ approbarent, aut novam compilarent; Ideo præfata religionis norma fuit INTERIM appellata; Quam Mauritius captivo Johanni Friderico in Saxoniæ Ducatu superioris à victore Carolo substititus, per suam protinus ditionem sedulò promulgat, indeque graves excitat turbas.

Enimverò Theologi Vitebergenses, quorum primipilus esset Philippus; & Lipsenses, mandato Principis utriusque obtemperandum judicantes, non paucas Ecclesiæ Catholicæ ceremonias, velut adiaphoricas, receperunt; immò in nonnullis etiā fidei articulis, à priori doctrina recedere non dubitarunt. Quibus propterea graviter offensi aliarum Professores Academiarum, & Ecclesiarum Pastores, libris certatim conscriptis, illos Apostatas, Synergistas, Interimistas & Adiaphoristas, mollesque Confessionistas vocitarunt. Hinc autem isti vicissim provocati, & Principum animati patrocinio, adversariis copiose responderunt, istaque concertatio, & simplicis plebeculæ scandalizatio, multis deinceps annis viguerunt.

Interea temporis Carolo vitâ defuncto frater subrogatus in Imperio Ferdinandus, cùm hujusmodi religionis per Germaniam diffidia in Concilio non posse componi animadverteret, & alios ipsemē concordia modos frustrâ se numerò tentasset, hoc tandem capit consilium: In animo constituit quoslibet Catholicæ articulos religionis, per aliquem veteris Theologiæ quæ primis secundum Apostolos seculis flourisset, doctorem aliis omnibus peritiorē, ad primitivæ doctrinam Ecclesiæ velut infallibilem, & tanquam lydium lapidem seu regulam Lesbiam, examinare; Deinde porrò illos dūtaxat in librum relatos, cùm indubitatis scripturæ sacræ, & sanctorum Patrum testimoniis, qui priscae hujusmodi Ecclesiæ in omnibus conformati essent, decrevit velut certissimam religionis methodum, per Imperii ditiones promulgare, neminei sibi persuadens adeò contumacem fore, quod tali præsumeret doctrinæ se adversarium opponere.

Ista dūm Cæsarī animum versat coquitque cura & cogitatio, intelligit Anno MDLXIV. quandam suo maxime idoneum proposito virum in Belgico Ubiorum Gymnasio morari, nomine Georgium Casandrum. Is protinus igitur primū à Ferdinandō, & postmodum à Maximiliano hujus filio, post obitum Patris ad solium Imperii sublimato, de hac re plurimum sollicitatus, manum operi, calamumque admovet; Illud verò post aliquantulum temporis consummatum, & typis publicatum, cum multo suscipitur in Germania passim applausu. Eo autem tempore Johannes Finlandiæ Magnus Dux, religione Lutheranus, Catholicam in Lithuania uxorem nactus Catharinam, hujus deinceps instigatione; librorum Catholicorum lectitatione; quotidianâ cum ejus doctrinæ hominibus conversatione, ac disputatione, cœpit pristinum aversari paulatim dogma, & Catholicum clām affectare. Id tamen

non in omnibus probans articulis quos hodiè Romana docet Ecclesia, cum nonnullâ illud reformatione, quorundam dispensatione, & quâdam cum primitiya Patrum sanctorum Ecclesia velut conformatio, statuit sibi amplectendum. Interim præterea sceptro potitus Sueonum, variis Pontificum Romanorum, & Principum Catholicorum fatigatur literis, ut Lutheranam sit suo regno cum Catholicâ permutaret religionem.

Hinc verò Rex Johannes persuasus quidem fuerat, sed non integrum Ecclesiæ Catholicæ doctrinam modernam, nec reliquam simul totam, posse citra tumultus grayissimi periculum Sueonibus confessioni Augustanæ mordicus adhærentibus, & potentia Ducis Caroli plurimum confidentibus, ulla tenus obtrudi, probe animadvertis, ipsam duntaxat medullam, seu nucleus Ecclesiæ Catholicæ, Sacris literis & SS. Patrum scriptis demonstratum, approbatumque, modicè in primis, lente, moreque subtilium medicorum, qui palato insyeto acerbiora pharmaca sub crusta tradunt dulciore, Suecis decrevit præbendum, ac sensim digerendum. Itaque dum Rex Johannes hujusmodi anxie vexatur cogitatione, præfatus Georgii Cassandri commentarius ipsi admodum oportune fuit oblatus; istumque, seu filum Thesei, ut ex tam intricato religionis labyrintho se facilius feliciusque tandem expediret, in plerisque sequi statuit.

Tum verò alia successit cura non minus perplexa, quorum vide licet hominum operâ in hoc uteretur palam negotio callidius promovendo, cum Herbesto, quod publicus esset Catholicus, non nisi clanculum uti consultum videretur. Ast quidam Evangelicorum mediocri præditus eruditione, M. Petrus Fectenius, Regis Secretarius, hujusmodi factus mox sectator & procurator molitionis fidelissimus, sollicitudinem Domini secundam summopere lenivit. Tertia porro restabat deliberatio, cum viros Theologiae utriusque, nimirum Lutheranæ & Catholicæ, sicut etiam lingvæ nonnullos horum Suecanæ peritissimos faustior negotii tractatio & consummatio prorsus requireret, ubi tales forent comparandi? Huic etiam difficultati quidam protinus succurrerunt, svidentes isti vineæ Jesuitas esse reliquis idoneos magis excolendæ, & horum numero Suecum, Danum vel Norvegum fortassis inveniendum. Nec displicuit Regi Johanni consilium, qui Patres Societatis Jesu postea habitum mentitos alium, identidem propterea huc ex oris induxit transmarinis, transalpinisque; Verum Scondicæ peritum lingvæ alium inter ipsos non reperit, quam P. Laurentium quandam, Tonsbergæ natum in Norvegia, & Philosophiae Theologiaeque studiis Lovaniæ mediocriter imbutum; Quem proinde Rex diu quæsitum cupidè amplexus, ex Lovaniensi Jesuitarum Collegio huc accersivit, prout sequenti narrabimus anno, ad præsentem ex tanto nunc redeuntes diverticulo.

Cum Moschus non alibi quam Novogardiæ legatis conveniendum pertinacius contenderet, & Suecus æquioribus de causis in colliminio prope Sostrebechium actionem pacis instituendam frustra idcirco urgeret, induciis & pacificatione posthabitatis, ad arma uterque convolat. Rutheni tamen nuperæ cladis non immemores, ex arcium latibulis in campum prodire cum hostibus aliquandiu non audebant; Illos proinde Sueci accedere statuerunt, & Calendis Januariis, nostratum Polemarchæ cum XXII. vexillis peditum, ac XI. alis equitum, Revaliâ profecti, Vesenbergum obsederunt, minori quidem successu quam initio speraverant. Etenim licet per sequens bimestre temporis spacium, nullos non conatus expugnationi adhiberent tormentis mœnia sternendo; tribus per ruinas vicibus alacriter invadendo munitionem; crebros in eam pyrobolos jaciendo,

endo; & tandem cuniculos agendo, nihilominus non paucis suorum defideratis, nihil effecerunt, quod hostis solito pertinacius & audacius sum tueretur præsidium.

Consensu igitur generali omnium placuit, Tolsburgi oppugnationem, tribus Vesenbergo milliaribus distantis, periclitari, quo Claudio Achatius cu[m] nonnulla exercitus parte digressus, tantundem ibi effecit; Et propterea cum dolore multo ad castra est reversus. Exercitus deinde Sueticus, hostibus paulisper omissis, in propriam ruit præceps internecionem; Quippe peditatus Scotorum ab equitatu Germanico multum diuque habitus Iudibrio, XVII. Martii, derisoribus congregatur; horaque duntaxat spacio MD. Scotorum ceciderant, & LXX. tantum superstites ad hostes profugerant. Hos vero Rutheni post Sueonum inde abitum, manibus post terga revinctos Moschuam ablegarunt, & falso jactarunt illos in conflictu captos; quibus tamen credens Moschus, Scottos crudeliter admodum mactavit. Prius etiam plurimi Scotorum sub Vesenbergo & Tolsbergō corruerunt, ita ut solus restaret modo equitatus, valde tamen imminutus, & ipsem quoque Archibaldus in conflictu cum Germanis habito graviter vulneratus decumberet. Hanc igitur Scotorum cladem sangvis ille portendit copiosus, quem ante ipsorum Stockholmia discessum, in area officinæ cecidisse retuli monetariae. Immo XIV ante conflictum diebus, ingens luporum agmen sub ipsa progrediens castra, & horrendum ululans, idem non obscurè præsigebat infortunium, præliumque intestinum; In quo solum XXX. Germanorum occubuerunt, qui Scotorum pedites minori suo cum detimento ceciderunt, quod equitum subsidio Scoticorum illi forent destituti. Equitatus enim Scotticus subverens ne Sueci Germanis in necessitate opitularentur, licet e- quos concendisset, conterraneis tamen subvenire non audebat.

Ita Deus simul vindicavit nefariam Scotorum cum Mornæo in extium laudatissimi Principis Regis Johannis conjurationem, licet destinato non mancipatam effectui, cum ille perfidam, in proprios collimatam præcipue dominos, nunquam soleat inultam relinquere. Cæterum XXV. Martii reliquus Sueonum exercitus, obsidione sub Vesenbergo penitus solutâ, in hosticum effusus turmatim, Jerviam, Virlandiam, & diœcesin Dorpatensem, aliasque Livoniae provincias Moscho subjectas, fœdissimè ac fœvissimè per hyemis residuum populatur. Atqui obsidione Vesenbergensi durante, Henricus Valesius XVIII Februarii Polonico redimitus diademate, initio æstatis suos in Sueciam misit legatos. Quo etiam tempore frater illius Carolus IX. Gallorum Rex, Suecum honorificâ compellavit legatione, super auxilio in subditos ferendo rebelles. Per eadem quoque tempora Imperator, Scotus & Angla, per legatos cum Rege Johanne de quibusdam magni momenti negotiis consultarunt; Nec ullus præcedentium vel subsequentium in Suecia Regum, toties legatione fuit visitatus à Regibus & Ducibus Europæ, Asiæ Africæque potissimum, quoties gloriosissimus Suecorum & Gothorum Monarcha Johannes, velut sequens non inficiatur passim historia.

Porro Moschus nuperam suis in Livonia provinciis inflictam per Suecos cladem vindicaturus, aliquot Ruthenorum & Tartarorum millia, sub exitum veris, in Sueticas illic regiones immisit, qui per sequens æstatis curriculum, tantis Estoniam damnis mactarunt, ut miserrimos hujus incolas nativitatis pœniteret. Miles autem Regis Johannis paucus ibi relictus, vicissim ex sua erumpens statione, Felinensem & Ofverpalensem vastat provincias. Quando Lubecenses cum omnigenis Narviam

mercibus frequentes navigarunt. Moschumque summoperè confortarunt. Quibus Suecus propterea merito indignatus, missâ protinus in Oceanum classem, jubet reduces infestare mercatores. Et regio Archithalassus mandato Henricus Arvidius non segniter obtemperans, XVI. onerarias nobilissimis onustas mercimoniis, Narviâ remeantes, intercepit; Prius tamen harum Admiralium, quod armis decernere esset ausus, cum aliis Lubecensium multis obtruncavit.

Interea Henricus, Polonorum Rex, de fratribus obitu Cæroli litteris informatus, & à matre, Ordinibusque Galliæ ad orbum invitatus thronum, ex Polonia XVIII. Junii Franciam versus profugit; novæque ideò Poloni se deinceps accingunt Regis electioni.

Per idem fermè temporis spatium, Johannes ab Hoijs Princeps nobilissimus, & Præsul Monasteriensium in Vestphalia doctissimus, amitusque Suetici Regis clarissimus, in fata concessit, qui nisi morte suisset præventus, Sueonum evasisset Archiepiscopus; Quandoquidem regiâ Sueonum prosapiâ esset oriundus, & tenuem haberet nimis conditionem, Catholicique dogmatis foret etiam amator & sectator peculiaris. Alium proinde Johannes Rex Upsalensi provisurus Ecclesiæ Antistitem, progressu æstatis convocat Stockholmiam regni Episcopos, cum nonnullis ex qualibet diœcesi Parochis. Quos ibi actutum comparentes, copioso ipsem sermone in primis, deinde per Fectenium, aliasque clementer allocutus, cum gravi quadam exaggeratione ac detestatione commemorat, quot exorirentur passim in Europa hæreses; quantus inde tumultus in Belgio, Hollandia, Gallia, & tota penè Germania grassaretur; quantæque flagrarent dissensiones non inter Sacramentarios tantum & Anabaptistas, sed etiam ipsos Confessionis Augustanae Theologos; quod horum nonnulli, scilicet Vitebergenses ac Lipsenses, se primitivæ Patrum Ecclesiæ vellent nonnihil accommodare, reliqui autem studerent eandem protervius oppugnare. Immo tantum, porro inquit Princeps, cepit hactenus incendium istud incrementi, ut præcipui Evangelicorum Doctores, de hujusmodi summoperè ambigentes doctrinâ, velut continuam non habente successionem ab Apostolis, suos ablegarent hoc anno nuncios ad Constantinopolitanum in Græcia Patriarcham, Protestantibus cum illa Ecclesia unionem impetraturos!

Sueonibus propterea consultissimum esse in tanta religionum ubique terrarum discordia, se ad Apostolicam & Catholicam primitivæ fidem Ecclesiæ, sacris utriusque Testamenti, velut etiam sanctorum Patrum, clarissimis firmissimisque roboratam testimoniis, & horum sanguine obsignatam, quantocius conformare. Nec dubium, inquit, est, quod nostra justo longius à veteri desciverit Ecclesia, cum luce clarius sit, majores nostros, quando non ita pridem errores fatagebant veteres in patria eradicare, simul plurimas constitutiones antiquissimas, religiosissimasque penitus evulsisse, non citra grandem avitæ pietatis jacturam! Et forsitan in quibusdam ipsiusmet fidei articulis, pariter à veterum semita infallibili exorbitasse. Illud verò potissimum inde constare affrat, quod, si nostra Missæ forma cum Liturgia Apostolorum, & præsertim S. Jacobi, S. Basilii, S. Chrysostomi, S. Ambrosii atque Gregorii Magni paulisper conferretur, tantum inveniretur discrimen quantum inter diem & noctem. Atque hinc demum conclusit Rex orator, à Missæ primum conformatio faciendum esse initium, & posteà reliquam fidei & Ceremoniarum indubiam cognitionem, secundum Sacram Scripturam, ex libris sanctorum priscæ Ecclesiæ Doctorum esse hauriendum, velut

velut fontibus limpidissimis, non cisternis Scriptorum hoc seculo florentium turbidissimis.

His præsens non gravatè Clerus argumentis persvasis, consensit ut devotior Missæ forma concinnaretur, & modò præfationem Canonis nonnihil immutatam admisit, veteremque in cantu ordinationem Ecclesiastico, permisit. Qua proindè Cleri obedientiâ Rex non medio-criter exhilaratus, consensit ut descenderet ad Præsulum electionem, & mox adhibito simul Regio calculo, Upsalensisbus M. Laurentius Gothus, gener antecessoris; Lincopensibus M. Martinus Scholæ Rector Gevaliensis; & Arosiensibus, M. Erasmus, Aulæ concionator, deputantur Antistites. Isti tamen Candidati, regiam non obtinent confirmacionem, antequam articulis subscriptis deinceps nonnullis, Regis Johannis porrò molitioni suffragantibus.

Nec interea Politicis regni negotiis Rex Johannes indormiens, XX. Junii Moschum hortatur adversarium, ut si pacis esset cupidus, de hac per suos primo quoque tempore, cum Suetiçis conveniret Commissariis, in loco limitum præscripto comparituris propediem, alias totam sanguinis profusionem, in caput hostis superbissimi derivandam, & illi à Deo imputandam, mulctandamque.

Cohortes autem prædatoriæ Moschi, cognoscentes Livonicum, seu Germanicum Sueci equitatum, à nuperā reversum excursione in statu-nem consuetam, se commessionibus tradidisse, repantino in helluones facto impetu, non paucos illorum trucidant, reliquos fugatos, armis & equis spoliant. Qui deinde securam ab hostibus nullibi mansionem inventientes, inito cum Revaliensibus induciarum etiam cupidis protinus consilio, aliquam belli cessationem à Castellano flagitant Huitensteinensi; Sed ab eo solum subsannati, & propterea miles quidem arma capebent, hosticum infestat. Cives verò Padisum vocati ad colloquium, cum Oefeliensium moderatoribus, & Ducis Magni servitoribus, habendum, binis secum ex castro acceptis Capitaneis, illuc properant; Ibique similem inveniunt consolationem, moniti, per jocum quasi, ut Dano apud Moschum intercessore, pacem à Tyranno impetrarent. Nec Suecus, pacis negotio intentus, suis modo subvenire poterat; Nè copiis in Livonię militaribus transmissis, hostem à transactionis opere, alias plus æquo inconstantem, alienaret.

In autumno autem, tabellariis utrinque haetenus detentis, liberatis, ultrò citroque inter Suecum & Moschum volitant literæ, super colloquio ad Sostrebechium inter Commissarios instituendo. Atque ut intelligeret hostis, Johannem ad bellum & pacem juxta paratum esse, & tolerabilioribus cum ipso pacisceretur conditionibus, armatam modò classem misit sub Narviam; Ubi tempestatibus nimium jaçtata & quassata, in Oceanum repellitur, exceptâ prætoriâ, quæ littori allisa Ruthenico, cum hominibus interiit. Nihilominus Moschus pacis studiosus, securum pro legatis conductum, seu commeatum, donat, & vicissim acceptat. Publicamque pro suis Rex Johannes ita fidem naëtus, VII. Octobris sequentes alegat Commissarios ad Sostrebechium, Claudium videlicet Flemmingium, à Svidia Baronem, regni Admiraliū; Claudium Achatium, à Byestad Equitem, exercitus in Livonia ductorem; Henricum Claudium à Kanchas Equitem, Finlandiæ Gubernatorem; Hermannum Flemmingium à Wilnes, militarium in Finlandia copiarum Præsidem; Henricum Haquini, & Bartholdum Georgium à Stromsnes, interpretem; cum instructione hujusmodi: Inprimis initio congressus seu conventus, recitatâ

tatâ palam Regis genealogiâ, paternâ & materna, os Mosci contumeliosum Sueones obstruere conarentur; Deinde ipsam pacis actionem aggressi, Huitensteinii & Karchusii urgerent restitutionem, velut munitionum intra limitem Sueciæ jacentium; Vel si bellum potius vellent adversarii, cum his itâ transfigerent, ut parta retinerentur utrinque. Verum si plura Livoniæ loca postularent, aut metallifodinas, seu harum peritos investigandarum artifices, responderent nullam sibi his de rebus datam esse commissionem; ut neque de Vichia Duci Magno assignanda, quam non possedisset unquam, & quæ in Stetinensi transactio alteri esset Domino adjudicata. Nec pluribus de Livoniæ, seu Estoniæ dominio admissâ dispufatione, ad pacificationem festinarent, omnique conatu laborarent, ut si pacis nulla spes affulgeret, inducias saltem X. vel VIII. aut IV. impetrarent annorum, permutationem simul captivorum, & mutuam aliquandiu omissam, Narviæ vel Revaliæ, aut Viburgi vel Helsingforsii, negotiationem; Sicut etiam ut Dux omnino ipsem, non aliis, transactio crucis osculo literisque propriis confirmaret; quod similiter Rex Johannes se facturum pollicebatur.

Cum his autem Commissariis Suecus, plerasque merces Lubecensibus æstate proximâ eruptas in Livoniam transmisit, ut iis salario per solverent residua Equitatui Germanico, & arces Vichiæ ea propter ipsi oppignoratas reciperent, nè in alterius domini venirent alioquin potestatem. Sed equitum plerique Dano illas tradere clam deliberantes, & hunc dominum, ut à Ruthenorum liberarent incursionibus Livoniam, affectantes, hujusmodi recusarunt solutionem, velut non integrum, nec statuto tempore numeratam. Cæteri autem potius Regi Suecum quam Danorum cupientes famulari, & militari salario hujusmodi libenter accepto, novam Regi Johanni promittunt, servantque summa cum laude fidelitatem. Quocircà dum nostrates justo diutiis his in Livonia negotiis distinentur, mense Decembri perscribit Moschus in Sueciam, suos jam abiisse limitem versus Commissarios, centum duntaxat satellitibus stipatos, obsecrans nè pluribus Sueones succincti eò advenire ullatenus præsumerent. Quando Rex Johannes animum paulisper ab his rebus avocatum ad Ecclesiasticas iterum convertit, & accitis sub anni exitum Candidatis vacantium in regno Dicecium, postquam XVII. articulis commutandæ negotio religionis plurimum inservientibus, reliquo inconsulto, ut dicitur, Sueciæ presbyterio, subscrisissent, novi confirmationem munera lubens impertit.

Anno MDLXXV. Rex Johannes tanto sui collocato propositi fundamento, reliquam superædificare fabricam aggressurus, Candidatis mense Januario, & aliis regni Episcopis, Parochisque simul nonnullis Sueciæ doctioribus, Stockholmiam evocatis, mandavit ut impressam reviderent Ordinantiam, velut minus absolutam, ipsiusmet etiam testimonio authoris ad calcem operis apposito, illustrarent obscura; explicarent dubia; controversa ventilarent; sana, Ecclesiæque conformia primitivæ dogmata, relinquent; contraria expungerent; necessaria inferrent; manca supplerent; parerga & paradoxa excluderent, ut Ordinantia tanquam Lydius Patriæ religionis lapillus isto emenda consummataque modo, omnibus prodiret numeris absoluta. Candidati proinde suæ non immemores obligationis, reliquo facile persuadent Clero præsenti, ut Regis voluntati, velut æquissimæ, satisfacere haud tergiversarentur. His autem præmissis, se operi accingunt, Ordinantiam in manus arreptam discutiunt, & Petro Fectenio directore, instigatore, monitore, scri-

ptore-

ptoreque, non modicam Ordinantiæ inducunt metamorphosin, plurimas Ecclesiæ Romanæ Ceremonias, suo calculo approbantes, & præcipue quæ ad sacramentorum administrationem, ac Missæ pertinenter celebrationem, sacerdotumque & Episcoporum spectarent inaugurationem follenniorem. Nam quoad illam, comprobant inter alia manuum in sacro lotionem; earundem subinde complicationem; extensionem; pectoris tensionem; geniculationem; inclinationem, crucifixionem; Missæ in Latina quandoque lingua celebrationem; quod plura in Ecclesiis altaria, & præsertim Cathedralibus, ac urbium, essent restauranda; ibi plura simul habenda sacra, & quod nemo sacerdotum ulla perageret in templo vel cœmiterio officia, nisi vête esset candidâ indutus.

Verū quoad hanc; olei sacri usurpationem, mitræ bicornis, seu infulæ, & pedi gestationem, cum aliis priscæ Ceremoniis Ecclesiæ plerisque, in ordinatione sacerdotum & Præsulum, horumque functione adhiberi solitis, ratificant. Porrò etiam præfati censores progressi, statuunt modernos confessionis Augustanæ Doctores in Germania ob periculosa inter eos contentionem, cautè imposterum à Suecorum presbyterio legendos; Ac potissimum illos, qui Academiæ Vitebergensis & Lipsensis se contumaciter opponentes Theologis, fructuosas & religiosas veteris Ecclesiæ consuetudines, prorsus censeant antiquandas, quorum essent primarii, Brentius, Major, & Vigañdus. Ideoque palam afferunt, Confessionem non modicâ indigere Augustanam reformatio- ne; festa, jejuniaque majorum revocanda; sinceram scripturæ sacræ interpretationem, ex libris sanctorum Patrum hauriendam; omnemque inde dogmatum rationem tutius esse petendam, ob grassantes nimium in orbe nunc passim Christiano hæreses, plurimos mortalium seducentes. His demùm omnibus, cum Stocholmensi clero ad consultationem simul adhibito, subscribunt; reliquo tamen regni presbyterio, liberum in cunctis reservantes suffragium, in conventu Ordinum postea celebrando, promendum, & negotium ita firmius præsens concludendum. Huic verò consultationi finem Præsules imposuerunt mense Martio, & domum festinarunt, in Junio Upsaliæ comparituri, novamque Electorum spectaturi consecrationem, ac interea temporis Rex necessaria hujusmodi pompa ornamenta esset provisurus.

Medio præterea tempore in Sueciam adductus P. Laurentius Norvegus, cum paucis Jesuitarum aliis natione Flandris, vestium cultu, & vultu, sermoneque in primis se accommodat ille Stocholmensium presbyterio; qui cùm non parum eruditionis ostentet, familiariter privatim disputat; se tamen Evangelicum ex Regis, ac P. Herbesti insti- tu simulat. Itaque clero regni primario consentiente, petente & plaudente, Scholam aperit Theologicam in Cœnobio Stocholmensium insulari; vicinam pro concionibus Ecclesiam capit; ad ipsum utrobique velut novum, summumque Augustanæ confessionis Theogotum, auscultandum, ingens fit hominum concursus; Quibus ideò magis indies placebat, quod non ex scriptura modo sacra, & sanctis Patribus; sed astu quodam mirabili ex ipsiusmet Lutheri libris ita pedetentim omnia ferme Catholicorum probaret suis auditoribus dogmata, ut pauci demum inter utramque discernere possent religionis differentiam. Et cum instructissimam ad hoc negotium requireret bibliothecam, præter Regiam nuper emptam, ac vetus utriusque monasterii librarium, ex Upsalensi codices permulti sunt Stocholmiam translati, quos inter omnes Lu-

theri fuerunt tomī, primāe editionis, hosque in Gymnasio producebat, ac dubiis auditoribus inspiciendos, legendosque porrigebat. Quā vicissim occasione, quādam in iis D. Martini paradoxa monstrabat, cuiusmodi est illud: *Si non velit uxor à marito ancillam esse tantisper amandam; Conatus etiam quasdam Lutheri producere anthilogias, ut sibi auditorum conciliaret fidem.* Nec cuilibet promiscuè hujusmodi prodebat mysteria, nē sua palam fieret machinatio, sed principio iis duntaxat, quos in suas propendere partes animadverteret, & Romanum amplecti dogma paratos intelligeret.

Etenim ille & Jesuitarum reliqui non ideo venerant in Sueciam, ut ibi diversam à Romana Ecclesia inferrent doctrinam, verum ut Regem Johannem, & Sueonum cæteros ad perfectam illius revocarent obedientiam, prout M. Jacobus Schröderus quidam in apologia fatetur, contra Lundensem publicatā non ita pridem Archiepiscopum. Majorem tamen habuerunt spem Jesuitæ de Duce Sigismundo, Regis filio, quod velut cum lacte nutricis, fidem studio matris imbiberet Catholicam. Hujusque idcirco professionis primum habuit Præceptorem, Nicolaum Mylonium, natione Belgam, Theologiæ Doctorem; Verum ipse mox amotus, quod regni Ordinibus hujusmodi non placeret Regii filii sceptro potituri Suetico, informator, à discipulo postmodum in Gedanensem promovetur Parochum & officialem. Deinde autem Princeps Sigismundus Evangelicum consequitur Pædagogum, Nicolaum Rascium, qui post biennium isto perfunctus officio, hujus initio anni sororium obtinuit successorem, Arnoldum, prænobili Grothusorum in Vestphalia oriundum profapiā, isque socer meus integerrimus, multâ diligentia & prudentia Serenissimi Principis Sigismundi annos deinde XIII. agit didascalum.

Interim porrò Moschus inducias cum Sueco facere meditans quoad Finlandiam solum, non Livoniā, hujus subjugationi totum modō belli apparatus & conatum impendere constituit, proptereaque currentis anni primordio, Vesenbergam non contemnendum transmisit exercitum. Inde autem Ruthenos sub Revaliam profecturos rumor increbuit, ideoque Rigenses compassi Revaliensibus, hos, velut omnium subsidio Principum destitutos, & Moscho in prædam assignatos, literis admonent, ut se Polono subderent, ita quadrimis gavisuri simul induciis, inter Polonos & Ruthenos constitutis. Verum equestris Livoniæ miles à Sueco exautoratus, Dani patrocinio se ab hostibus fore securum confidens, ipsi arcis Vichiæ, Lealiam, Lodium & Habsaliam, sibi hypothecæ loco traditas, iis prodere legibus decernit, quod intra proximum S. Johannis diem, reliqua sibi numeraturus esset salario, & Moschum redditurus amicum. Nec hujusmodi conditionibus rex Fridericus subscribere cunctatus, XXV. Januarii prefatas obtinet Livoniæ munitiones, Claudio von Unger, Arensborgensi Castellano, fidelem sibi hac in re operam navante.

Parnovienses etiā suis diffisi rebus, & Dani cum Moscho amicitiæ confisi, se illum quoque dominum eligere paratos Claudio significant, si beneficio Regis Friderici à Ruthenorum excursionibus evadere possent securi. Verum licet Claudius amplissimam Parnoviensibus spem fecerit, tamen secūs his, equitibusque posteā contigerat, & merito quidem perfidissimæ equitum colluviei, quod legitimum, citra necessitatem dominum deseruisset. Hactenus verò Rutheni Vesenbergæ feriati, modō Revaliam pergunt, & XXX Januarii, postridieque cum illius propugnatoribus certatim effusis velitati, accolas urbis infestant, nē quidem cœnobio par-

parcentes Brigittino; Ipso siquidem vastato & cremato, cui anteā semper pepercissent, captivas in Russiam indē deducunt vestales. Deinde Vichiam Daniæ versus profecti, eam, & provinciam Padiso subjectam, Oeseliam, ac finitimas insulas, non minus crudeliter vastarunt, simulque Habsalienses impugnarunt, & horum non paucos captivarunt. Hinc autem digressi Parnaviam, incidunt suburbium, & totâ in circuitu regione similiter defœdatâ, in Russiam onusti manubiis contendunt. Modò itaque Magnus, affinis Moschi, animum exploraturus Revaliensium, hos frustrâ suum ad colloquium invitavit.

Iam verò terminus Henrico Valesio à Polonis ad redditum præfixus instabat, & cùm non amplius ibi comparitus videretur, Ordinesque propterea alterius molirentur electionem Regis, Turcarum Imperator subveritus, nè aliquem Ottomannico infestum dominio Poloni designarent, literis ipsos admonet, ut potentissimum Sueciæ Gothiæque Monarcham Johannem, potius Regem deligerent, quòd Jagellonicam haberet uxorem, suusque foret amicus; vel Stephanum Batoreum, Transylvaniæ Principem, alioquin si Austriacorum quiepiam, vel Moschum, illis repudiatis, Dominum acceptarent, se Polonos hostium loco æstimaturum, & armis persecuturum. De tanto itaque Amurathi animo erga Regem Johannem, XIII. Martii ad ipsum honorificè perscribens Constantinopoli Mahumetus Bassa, supremus Cæsarlis Turcici Consiliarius, & affinis, hortatur ut missis pariter in Poloniā legatis, suam urgeret electiōnem; Atque si Oratores in Turciam aliquos super his vel aliis vellet negotiis ablegare, securum eos ibi commeatum spondet ultrò citroque habituros.

Hinc Suecus provocatus, & à plurimis simul Polonorum frequenter invitatus, nec minus propriâ sponte animatus, suos eò Commissarios veris initio transmisit; Qui habuerunt in mandatis, ut si Regem nollent Poloni Johannem, hujus filium deligerent Sigismundum Finlandiæ Principem, & inclytam Jagellonum progeniem, aut vetera Sueco persolverent actutum nomina. Quo etiam Rex Johannes tempore, super alio compellatus salvo conductu, Commissariis dando quantocius Ruthenicis, ipsum VII. Martii confectum transmisit. Nostrates quoque publicam naëti fidem certiorem, Revaliâ in fériis Pentecostes limitem versus contendunt. Quandoì alios Moschus per Livoniā misserat legatos in Daniam, VII. Junii Arensburgum venientes, quibus aliud procul dubio non commiserat negotium, quam ut cum Dano de arcibus in Vicia, per eum nuper occupatis, protestarentur, & simul de Sueco Narvicam in mari navigationem impediente, mercatoresque spoliante, quererentur. Per idem simul temporis spaciū, suo Rex Johannes sororio, Duci Saxonum Magno, Sonnenburgum Livoniæ, cum adjacente provincia seu insula, concessit in feudum, eoque proptereà vasallus mox navigavit.

Cæterum modò imminebat XIV. Junii dies, quo Upsaliæ in frequentissimo cleri Suetici conventu, Archielectus regni, M. Laurentius Gothus, à Vexionensi & Abogeni Episcopis more honoreque propemodum Catholico fuit solenniter inauguratus. In hac verò festivitate, competitor Lincopensis infulæ, M. Martinus Gestricius, de hujusmodi ceremoniarum præstantia & Archiepiscopalis officii excellentia, Latinè peroravit. Qui protinus etiàm, simulque M. Erasmus, à novo consecrantur Archipræsule Laurentio, pompâ tamen paulo minori. Hisque interfuerant actibus, magna cum dignitate, Regis legati, Comes Petrus Brahe;

Hogenschildus Bielche; Ericus Sparre, & Ericus Gustavius, Liberi Barones, ac suâ inaugurationem præsentia magnoperè decoraverant. Nec ipsemet absuit Choragus, M. Petrus Fectenius, quo caussam religionis gnaviter agente, Præsules & reliquus ibi præsens Clerus, emendatæ, locupletataeque nuper Ordinantiæ, hac subscribunt cautione omnes, ne hujusmodi Ceremoniarum commutatione occasio daretur aliqua superstitionibus, vel abusibus Ecclesiæ postea Suecanæ obtrudendis. De quo simul negotio sponzionem naëti Regiorum Commissariorum, metu liberantur, & primarii ex clero cum Episcopis jussi Stockholmiam se conferre, illic residuam religionis actionem ponderaturi & conclusuri, non illibentes proficiscuntur.

Comparuerant igitur Stockholmiae Laurentius Upsalensis, Martinus Lincensis, Jacobus Scarensis, Erasmus Arosiensis, Paulus Abogenfis, & Nicolaus Vexionensis, Antiftites; Olaus Petrius, Stockholmensis Parochus; Abrahamus Andreæ, Ludirector; & Petrus Andreæ, Pœnitentiarius ibidem. Upsalenses verò fuerunt, Joachimus Pastor; Petrus Benedicti, Pœnitentiarius; Petrus Jonæ; & Olaus Luth, Professores, cum XI. aliis ex Suecia, Gothia, Finlandiaque potioribus & doctioribus Presbyteris. Qui omnes collatis capitibus & ingeniis, Ordinantiæ denuò sub incudem revocarunt, ventilarunt, auxerunt, & tandem XVIII. Junii, eam ita comprobarunt, ut tamen Cleri totius sententiæ propediem hac de causa convocandi, his præjudicatum nollent. Vicissim Rex Johannes, ut obsequentiorem fibi adhuc redderet in hujusmodi rebus clerum, amplissima ipsi promisit privilegia, & immunitates; Quibus colligendis & componendis Fectenius protinus occupabatur, proximo presbyterii conventu ea præsentatus. Verùm quod ante publicationem Liturgiæ, nec Synodis celebrata, nec pluribus innovatio religionis ponderata, neque privilegia oblata fuerunt; Sicut etiam quod nonnulla Ordinantiæ, Censoribus inconsultis, ut queritur M. Abrahamus, interim sint inserta, ob id quidam à subscriptione postea deficients, gravem excitarunt tumultum, sicuti Chronologiæ sequens docebit contextus.

Jam appropinquabat dies XXIV. Junii, equitum, qui Dano nuper arces Vichiæ prodiderant, solutioni deputatus, quibus cum Claudius Ungerus Arensburgum vocatis, rationes instituit hujusmodi, ut qui centenos aliquot thalerorum expectarent, nè obulum quidem acciperent. Nam pabuli agricolis quibuslibet sublati, simul & frumenti, damnique cuiuslibet colonis Estoniae haëtenus irrogati, compensationem equitibus primum subtraxerat; Horum deinde creditoribus Revaliæ pariter accitis, omne persolverat debitum, & reliquum numeraverat equitibus, quod fuit per exiguum. Ipsos propterea summoperè commutati domini, & non expectatae ab Rege Sueciæ solutionis, sed Vichiæ Dano assignatae, ferò pœnituit. Moschus autem gratis omnino Parnaviam habiturus, Junio exeunte ipsam valido cinxerat exercitu. Cives igitur nullum alicundè subsidium expectantes, hosti se IX. Julii dediderunt; Certis tamen conditionibus, quas inter cùm una esset, ut quibus incolarum ibi sub Moschi dominio remanere non placeret, illis integrum esset indè aliò cum bonis emigrare. Cum Parnoviensibus Duces Ruthenorum clementer admodum agebant, ut simulatâ hujusmodi benevolentia plures urbium inescarent, eorum tamen non pauci fecesserunt in Oefeliam; Ubi, quod Parnoviæ ante hostis adventum tam male providissent, & illam Moscho tam facile prodidissent, cum haud parvo reliqua-

dam-

damno Livoniæ , captivatos, opibusque spoliatos, Magnus Dux Saxoniæ in Sueciam transmiserat.

Dictus Princeps Parnoviensis obsidionis tempore ex Sveonia in Oefeliam delatus, Sonnenburgo in feudum accepto, intelligit Claudium Ungerum quandam ditionis insulam nullo sibi vendicasse jure: Ideoque Claudium in eadem incautiū agentem aggressus, captivat; quem tamen mox vinculis liberat. Atque hinc exstigit, quod Claudio infortunio isthoc impeditus, promissum nomine Regis Daniæ, non potuit auxilium & consilium præstare obsecræ Parnoviensium civitati.

Interea Sueones cum Ruthenis in limitibus variè collocuti, bimbas solum inducias ab iis XIII. Julii obtinuerunt, inter Finnones & Russos duntaxat, Livonibus exclusis, servandas, post diemque septimum inchoandas, & usque XX. Julii Anni MDLXXVII. prorogandas. Ita Estoniae spe suâ frustrati, ingemuerunt. Nec Finnonum lætitia fuit diuturna, cum hostis perfidissimus pactis saepius violatis, illos tempore induciarum infestaverit.

Poloni modò cum legatis Henrici Valesii colloquio habito, ipsum XV. Julii publico ejurant decreto, & novi parant Regis electionem. In eorum proinde conventu oratores, procuratoresque Regis Johannis comparentes, mandata licet fideliter exequantur, voto tamen non potiuntur: Siquidem plura Stephanus naectus suffragia, quod Annam adhuc virginem, ultimam Regis Sigismundi Primi filiam, non recusaret conjugem, Rex à Polonis salutatur. Cæterum Magnus Engriæ & Oefeliae Dominus, suis in Livonia rebus probè ordinatis, Sueciam repetit. Quo profecto Claudio Ungerus occasionem adeptus percommodam vindicandæ captivitatis suæ, & Regi Friderico Oefeliam subjugandi, auxiliariibus ex Dania copiis contractis, Sonnenburgum oppugnat, & fraudulenter mense Augusto expugnat. Etenim per nonnullos præsidiorum largitionibus corruptos, horribile in castro incendium suscitatum, quod Sueones sedare non valentes, hostem subsidio admittere compelluntur. Ita Claudio arce potitus; eam cum omni retinet bellico Suetico apparatu, contra firmissimum Stetini, quinos ante annos, initum utrinque decretum.

Nec Fridericus Sonnenburgo contentus, Padiso etiam inhiat, & propterea deputatus ab eo Commissarius Claudio Ungerus, & Danicæ quidam Proceres, à Sueonum ac Revaliensium nonnullis, ad colloquium evocatis, Padisum illâ poscunt comminatione, protestationeque, Regi suo tradendum, quod, si Moschus ipsum alias occuparet, Sueticis minùs armis roboratum, totam Rex Fridericus Revaliensibus culpam effet imputaturus. Verum à Suetici Gubernatoris ibi Commissariis contempti, quorum unus fuit Pontus Dela Gardie, se alio converterunt, & Revaliensibus clanculum congressi, persuaserunt ipsis, ut patrocinio Sueci, velut nimis vano, contra Moschum relicto, aliud multò certius apud Cæsarem & Danum, reliquosque Europæ Principes, captarent. Hinc igitur seductus Revalensis Senatus, literis quaquaversum perscriptis, externa implorat nequicquam subsidia, & gravem inde Regis Johannis contrahens sibi indignationem.

XX. Augusti die Suecus induciis cum Moscho initis subscrispsit, ac de aliis pro Estoniae impetrans magnoperè sollicitus, cum Castellanus Huitensteinensium spem illarum fecisset nuper aliquam Revaliensibus, Tyranno de iis amicè simul perscrispit.

Denique post compilationem Ordinantiæ (seu Normæ cuiusdam Ca-

tholicæ & orthodoxæ) in Junio finitam, subscriptamque à Clero Sueciæ primario: Quantum pro tempore, ac velut præludio saltem quodam, & principio reliqui dogmatis Catholici in Regnum pedentem introducendi, leniterque Suecis capacioribus & docilioribus ita factis deinceps obtrudendi, necessarium erat, & citra futuri gravioris tumultus periculum licere videbatur; Placuit conformationem Ecclesiæ Suecanæ cum Catholica in primis auspicari ab ipsa Missa seu Sacro, Suecis post suscepitam Doctoris Lutheri reformationem aliquandiu usitato, & nimis à priori sacrificandi forma variato transmutatoque. Conformatores porrò hujusmodi proposito suo non consultum rati, integrum Sacri Catholici tenorem mox Sueonibus obtrudere; hujus duntaxat partem minus utrinque controversam, illis primum, velut incapacioris, & contumacioris alienatorisque adhuc ingenii, à prisca Majorum doctrina, censuerunt proponendam. Itaque Regis consensu P. Herbestus concionator Reginæ summus, at occultus, quod palam esset Catholicus, hujus sacrarii Parastata, P. Laurentii Norvegi minus adhuc de religione Romana suspecti; Petri Fectenii; & cæterorum consilio auxilioque Collegarum adhibitis, ex Missæ Catholicæ contextu solerter expungit Divorum invocationem; Orationes pro animabus defunctorum; Pontificis, & sacrificii incruenti mentionem; omnemque crucifixionem. Reliquum autem omisso non nihil textui accommodatum, interpolatum, variatum & transmutatum nè dignosceretur, verum ut tantisper pro ipsa primitivæ Ecclesiæ litandi forma fusciperetur colereturque, in unam compingit methodum, Suecis in Sacro postmodum aliquandiu celebrando usurpandam.

Atqui ut interea Sueciæ Clerum non tantum ad præsentem Missæ normam instigaret suscipiendam, quantum exclusas veteris Sacri partes simul posteà suscipiendas esse, prudenter informaret animaretque, huic passim formulæ, quæstâ studio occasione, creberrima SS. Patrum in scholiis adjicit testimonia, quibus veterum sacrificandi ritum inculcat. Nam ita probat Missam sacrificium esse incruentum, vivis & mortuis salutare; in ea proinde factam in primitiva Ecclesia defunctorum in cœlo vel purgatorio existentium mentionem; Divos à mysta invocatos; vino aquam in calice permixtam fuisse; veteres transubstantiationem, & tantum se sub una Sacramenti specie, quantum sub diabibus suscipere, certo certius credisse: docuisseque simul Christum in Eucharistia adorandum; Hanc figurâ crucis olim consecratam, elevatam, ac extra usum quoque reservatam cum reverentia. Prætereà cœlibem sacerdotibus vitam convenire demonstrat; his psalmos & orationes præscribendo, ante sacram recitanda functionem; in quibus mundiciem animi corporisque, zelum religionis promovendæ, & saluti hominum consulendi mystis commendat. Deinde modum orandi, quando sacris induerentur vestimentis, tradit; & quod manus in ipso tenerentur Sacro abluere, ut & ante Introitum denique, Missam Cathecumenum, Canonem minorem & majorem, in hisque varias præfationes & orationes pro ratione temporis, ac tandem Sacri perorationem, mutatis ubique mutandis, prout diximus, persequitur. Opusculo ita consummato præfixit inscriptionem: LITURGIA SVECANAÆ ECCLESIÆ, CATHOLICÆ ET ORTHODOXÆ CONFORMIS. Liturgiam vocavit, ut vetus primitivæ Ecclesiæ vocabulum retinens, maiorem operi conciliaret authoritatem; & odiosam Missæ nomenclaturam intermittens, illi gratiam procuraret cùm in Romana & Græca, tūm in Ecclesia Lutherana; præcipue verò Suecana. Atqui Latinè simul & Suetice publicam fuit lucem aspectura, eâ ut existimo intentione, ut Sueones

nes Sacrum in utraque lingua aliquandiu peragerent, donec mansuetiores facti, & ad Catholicum dogma propensiores, istud ferme integrum, cum Missa integra Catholica, & illa solum Latinâ tandem susciperent. Johannes igitur Botherus in Orbis amphitheatro indè Johannem Sueciæ Regem summoperè laudat, quod Catholicam in suo Regno fidem suscipere quidem consensisset, verum contrariis Caroli fratrī molitionibus nimium fuisse impeditum. Michael tamen Iselensis in sua fatetur historia, Laurentio Surio succenturiata, Suecum non quoslibet fidei Catholicæ articulos admittere voluisse. Quod ipsum insinuat in suis Possevinus libris; atque ipsem hujus actionis pro cursus ac discursus, sequentibus comprehensus paginis, clarius demonstrat.

Verū ad Liturgiam oratio calamusque redeant; Hanc P. Herbestus, & Catholicorum alii scholiis illustrarunt præfatis, non, velut nonnulli perperam senserunt, M. Petrus Fectenius: Nam in hoc, aliisque hujus propositi negotiis, Fectenius & Archiepiscopus honorem quidem habuerunt, sed Jesuitæ laborem, omnium authores tractatum qui Liturgiæ tempore prodierunt, ut sub illis saltem, velut umbraculis, hujusmodi cuniculos agerent, nè molitio adversariis alioquin prodita, impediretur. Ideoque P. Herbesti censenda est præfatio Liturgiæ præfixa, non Archiepiscopi, utpote quæ Confessioni Augustanæ repugnat è diametro, & veterem propugnat luce clarius religionem. Nihilominus tamen M. Laurentius regni Archipræsul initio brumæ cum M. Erasmo Stockholmiam denuò vocatus, hanc præfationem pro sua agnoscere, & simul Liturgiam vigore subscriptionum compellitur acceptare, approbare & publicare. Quamobrèm utraque ab hisce modo censoribus paululum examinata, & parùm vel sanè nihil prorsus immutata typis subjicitur, & anno Liturgia sequenti consummata, sub Archiepiscopi nomine pompâ insigni producitur.

Sed hinc paulisper nunc in Islandiam excurramus, ubi studio Gudbrandi Holensium Episcopi, typographia hoc ævi spacio primum introducta fuit, & hujus exercendæ Magister exstitit quidam Jonas, Sueco natus illic parente, villæ cujusdam Parocho, isque præter alios in lingua insulæ vulgari libros quam plurimos, sacrum Bibliorum excudit quoque codicem, longo ibi tempore desideratum.

Indè autem per vastum oceanum reversus in Scondiam vel Jutiam, invenio hujus Ducem & administratorem Episcopatus Slesvicensis ultimum Adolphum, VI. Octobris die mortis imperio succubuisse, posteaque Episcopam Danicæ subjectam coronæ.

Anno MDLXXVI. sicut etiam priori, Suecana intonuit Ecclesia cantu extra Ducatum sonoro, quemadmodum in conventu ante sesquiannum Stockholmiae fuit decretum, interimque Clerus ob penuriam concinentium non parvam expertus difficultatem, de illa queritur apud suos ubique Præsules. Quibus simul Archiepiscopus provocatus querimoniis, suæ diœcesis presbyterio Calendis Januarii, literis quaquaversum publicatis mandavit, ut quilibet in sua parochia sacerdos, ingeniosiores & voices modulamine nobiliores feligeret pueros, hosque Dominicis ac festis diebus domi suæ in Ecclesiastico diligenter cantu exerceret, & hujusmodi concentoribus peculiarem in templis locum, non procul ab altari diffitum assignaret. In Scholis prætereà juventus in cantu exercebatur chorali magnâ profectò industriâ, & ibi sicut etiam in urbanis ruralibusque passim Ecclesiis veteres cantuum libri, multis qui haec tenus annis obsiti pulveribus delituisserent, producebantur; inque regio simul visebantur facello,

quan-

quandoquidem Rex Johannes non figuratā tantoperē musicā, quanto-
perē simplici majorum præfatā, delectaretur.

Aliud verò diploma in Februario domi M. Laurentius valvis ba-
silicæ Upsalensis & Academiæ affigens, multis probat in eo rationibus
Sacrosanctam utriusque Testamenti Scripturam, nisi Patrum adhibitâ
sanctorum interpretatione, sine periculo erroris minùs esse intelligibili-
lem; Idque potissimum hinc demonstrat, quod omnes ab initio Eccle-
siæ qui fuissent hæresiarchæ, non consulendo SS. Patres, ast suum pro-
prium in Scripturæ sequendo interpretatione fatuum sensum, intelle-
ctumque, à semita veritatis, & via salutis æternæ ipsimet eminus exor-
bitavissent, ac homines secum alios propemodum innumeros in perdi-
tionem abduxissent. Deindè illos clanculum perstringit, qui neotheri-
cis hodie Scriptoribus potius adhærere quam veteribus consultum exi-
stiment, imprudenter agentes; cum illud pro infallibili sit doctrina te-
nendum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus piis & ortho-
doxis creditum in Dei hæc tenus Ecclesia esset. Ideoque ut incommodo
hujusmodi tempestivè occurrat, & Regis mandato, de Sueonum salute
plurimū solliciti, velut etiā suo satisfaciat officio, asseverat se de-
crevisse unam quotidiè horam prælectionibus SS. Patrum impendere;
Quando simul modum ipsos cum fructu legendi, auditoribus se tradi-
turum pollicetur. Qua de causa sacræ studiosos Theologiae hortatur,
ut frequentes tum temporis in acroatherio compareant, ipsum aut vicari-
um ibi audituros, & non mediocrem solidæ eruditioñis ac pietatis
inde secum ralatueros cognitionem.

Præterea nullus horum, vel aliorum in regno virorum literatorum,
aliquam obtinuit Scholasticam aut Ecclesiasticam sub Rege Johanne fun-
ctionem, qui non prius jurejurando literis cōprehensō se firmiter ob-
ligaret, quod in suis prælectionibus vel concionibus Patrum testimonia
Scripturæ Sacræ rectius intelligendæ esset adhibiturus, & in controver-
sis Scripturæ locis antiquiores celebrioresque veteris Ecclesiæ Doctores
consulturum se polliceretur; veluti S. Ignatium, S. Clementem Roma-
num, S. Dionysium, Tertullianum, Polycarpum, Justinum, Cyprianum,
Basilium, Epiphanius, Hilarius, Gregorium Nazianzenum, Ambro-
sium, Augustinum, Athanasium, Hieronymum, Chrysostomum, Irenæ-
um, Cyrillum, Vincentium Lyrinensem, Prosperum, & Leonem: Si-
quidem plerique horum ipsam didicissent veritatem ab Apostolis, vel
istorum discipulis, ac proximis successoribus auditoribusque, quam de-
inceps posteris velut per manus tradiderant. In præfata etiā juramen-
ti formula se Pastores & Scholarum Rectores obligarunt, quod cūm
homines in hac mundi senecta ad virtutum studia essent langvidiores,
acres forent auditoribus suis stimulos facesque exhortationum subditu-
ri, ut salubria non refugerent jejunia; castimoniam colerent; in preci-
bus & eleemosynis se fideliter exercerent; festos dies revocatos & im-
posteriorum revocandos religiose observarent. Et hos simul se ipsosmet
observatueros concionando, ac Sacraenta auditoribus administrando
Ministri & Ludimoderatores spönderent. Demùm sancte iidem pro-
miserunt, quod Regiae Majestati, uxori & liberis, fideles in omnibus
essent futuri, Regis & religionis obrectatores nullo personæ respectu
habito prodituri, ac quoslibet tumultus omni semper conatu aversuri,
non concitatui.

Nec Moschus interim à bello feriatus, principio anni Vichiam cum
VI. millibus pugnatorum invadit, & mense Januario Lealiâ, Fichelio,
Lo-

Lodioque minis potius quam armis illius provinciae arcibus potitus, Habsaliam obsidet, quam XII. Februarii levissime perfidissimeque traditam occupat. Ita servavit ille fidem Regi Danorum suo federato, tot ipsi munitiones & regionem auferendo fertilissimam! Rutheni autem persecuti victoriam, sub Padisum Suetici Regis arcem inde castra moverunt, & hosti non parcendum rati Sueco, cum Dano non foret parsum amico, castrum leviter licet oppugnassent, id Johannes Oldenborgius, Ruthenorum territus similiter minis, citra ullam dedidit mox necessitatem. Deinde victores Oseliam, Sueci quoque ditionem, crudeliter infestarunt: Et reditu hostium Sueticus Revaliae Polemarcha cognito, cum paucis festinavit cohortibus arcem recuperatum, quam XXIX. Aprilis obsessam, aliquot impugnat frustra septimanis. Quod ipsum facit Claudio Ungerus sub Habsalia, & propterea negotio infecto uterque tandem receptui canit, hostique munitiones aliquandiu permittit. Nec Ruthenus in Huitenstein ignorans Sueticum abiisse militem Revalia, & Padisum obseSSIe, ut ipsum inde revocaret, & captis sub Revalia præpingvibus armentis sibi commeatum procuraret, illuc medio temporis intervallo turmam misit equestrem; Quæ ab imbelli civium turba continuò in hostem effusa prædabundum, exuta prædis profligatur & fugatur.

Interea etiam Stephanus Batoreus ex Transylvania in Poloniæ accitus, thronum regni & torum Annæ consequitur Jagelloniæ. Quandò similiter Liturgia hactenùs sub prælo desudans absoluta, Clero Regiæ Majestati subiecto commendatur usurpanda, eamque Johannes Rex Ducatus pariter Ecclesiis obtrusurus, cum ea misit ad fratrem Carolum prænobiles viros, Georgium Gere, Ericum Sparre, Consiliarios regni, & Ericum Mathiæ, Secretarium. Hos autem legatos Dux IX. Martii cum responso hujusmodi remisit, quod nec sibi nec Regi liceret illum acceptare, cum in paterno inhiberetur testamento quælibet religionis innovatio, obsecrans propterea nè sibi, vel successoribus hæreditibus obtruderetur, contra parentis donationem, quod ea sibi, non alteri, omnem in Ducatu quæ Ecclesiasticam quæ Politicam tribueret jurisdictionem. Quocircà Rex Johannes probans ex jure Suetico & pacis conventis, sicut etiam paterno testamento secùs explicato, contrarium, ac nihil tamen suis proficiens rationibus, graviter fratri offenditur. Quæ profectò controversia non paucis flagrans annis, multo Patriam detrimento cumulavit. Veruntamen modò Rex Johannes Caroli haud moratus responsum, si Pontifex saltem Romanus suo religionis conformandæ proposito suffragari dignaretur, opinatus est non defuturam sibi rationem, dogma illud per totam Sueciam promovendi. Hoc igitur in negotio Pontum De la Gardie natione Gallum, & professione fortassis Catholicum, atque M. Petrum Fectenium, isto fermè anni tempore cum Liturgia, & tota religionis suæ forma, Romam versus ad Gregorium XIII. oratores ablegavit.

Atqui Doctores in Germania quidam Evangelici, quos inter fuit Crusius & David Chyträus, suos ante biennium transmissos Constantinopolim non Romam tabellarios, ibi confessionis Augustanæ confirmationem, & cum Græca conformationem Ecclesia impetraturos, hoc currente anno receperunt; Qui censuram Patriarchæ secùm attulerunt, Romano magis dogmati quæ Lutherano convenientem, nec magnopere regia illa Sueonum confessione discrepantem. Quippe quam Rex Johannes optabat fabricabatque normam religionis, non tantum Augustanæ

næ profecto vel Romanæ (prout deinceps comprobabitur) quantum Græcanæ convenientem Ecclesiæ; Intolerabili tamen illo, de processu Spiritus Sancti, cum aliis non paucis, excepto errore, quem Schismatici non minus contumaciter, quam impie, per aliquot mundi hactenùs secula defenderunt. Hinc Suecus Romæ postea minus voti compos redditus, fertur Constantinopolitanum hac in re statuisse compellare Patriarcham, quod alibi memorabitur.

Sed jam ad legationem Regis Johannis Romanam denuò conversus, depræhendo Fœtendum in via submersum periisse, & Pontum naufragio sub Gotlandia factō eruptum, in Italiam solum perrexisse. Quamobrem inter Catholicos tantus in Europa triumphus agitur, famaque spargitur de Sueonum Rege ad Ecclesiæ unionem Catholicæ propediem accessuro, ut etiā ad remotissimam Melitensium hinc transvolaret insulam. Quā Catholicus Ordinis Magister, bellum fibi à Turcis inferendum formidans, hoc anno provocatus, missis in Sueciam legatis, opem Regis Johannis imploravit. Priori autem anno Cæsar Germaniæ, à Revaliensibus, ut præfatus sum, rogatus, simulque quibusdam Imperii aliis necessitatibus provocatus, legatos in Russiam miserat, qui modò indè incolumes reversi XXX. Maji Rigâ scribunt Revaliensibus, se nullas ipsis cum Moscho inducias impetrare potuisse. Vicissim porrò Tyrannus suos ad Imperatorem direxit per mare Oratores, quos Suetica classis interceptos, ad Regem Johannem perduxit. Idque postea Moschus resciens, Suecum in Junio per literas obsecrat, ut illos ad Cæsarem in negotio toti Christianitati profuturo transmissos liberare non gravaretur.

Quandò præterea Moschus indè sibi persuadens Revalienses desperationi & ditioni proximos, quòd Sueci non contenti patrocinio, aliud apud Cæsarem quæsivissent, quendam Henricum Gellinchusum, Revaliæ natum, & homicidii causa perpetrati exulanter in Russia, cum turma equitum CCC. in Livoniam expedivit, popularium animos periclitaturum. Qui propterea Huitensteinio literis ad Senatum datis, petit cum illo colloquium, & non obtinet, quòd Revalienses doli non laterent Ruthenici. Undè Huitensteinenses Rutheni plurimū offendī, eruptione factā, sub ipsa prædantur Revalia, hostibusque præsidarius miles mox congreßus, illis prædas eripit, & in fugam victor conjicit. Hincque Russi magis exasperati, per sequentem Julii mensē Huitensteinio & Padiso simul excurrunt, ac provinciam Revaliæ subjectam ferociter incursant. Hactenùs porrò sæpius admoniti Rigenses, ut vetera quædam nomina Regi Sueonum persolverent, cùm nollent creditorī satisfacere, Rex Johannes infestā illuc missā classe, XI. Julii in accolā propugnaculi Dūnensis ferro & flammā grassatur; indeque commoti Rigenses debitum solvunt multo frumento in castrum transvecto Revaliense, & in gratiam cum Sueco ità redeunt.

Interim Rex Johannes domi nactus Moschi literas, de cäptis querentes legatis, XII. Julii respondit illos nequaquam dimittendos, sed alios insuper capiendos, donec Tyrannus Sueonum tabellarios, nullo jure hactenùs ibi detentos remitteret, & in pacem utrinque stabilem consenseret; Ideoque si ad hanc foret animatus, tertio anni sequentis mense suos haberet in limite regnorū legatos, cùm Sueticis illic quaslibet transacturos controversias, ac pacem denique conclusuros. Sin autem Revalia illum remoraretur, hanc flagitaret à Cæsare proprio urbis Domino, quam Sueci sumptus bello impensos Estonico ubi accepissent, resi-

gnata

gnare haud tergiversarentur. Sed nihilominus Russum Revalienses aver-sati dominum, proximo autūmno factā crebro excursione, non modicis Ruthenos pāssim afficiunt detrimentis.

Cæterū isto in Sueciā tempore Scotorum primō detecta fuit conju-ratio, hujusque convictus præcipue quidam Gilbertus Balfur, Carolum Mornæum prodidit complicem, & capitis modò Stocholmiae promeritum adiit supplicium. Mornæus autem fugā in Ducatum elapsus, indè fuit postmodum reductus, & judicio sistitur, qui crimen confessus, ad suppli-cium quando producitur, inter alia in hæc prorupit verba : *Hodiē morietur Carolus, cuius beneficio vivit Rex Johannes*; intelligens forsitan se Regi quon-dam Erico dissuasissē, nē captivum mactaret fratrem. Verū quod de-incepis maleficium beneficio commutasset, hinc nihil adjutus, gladio pro-sternitur.

Jam ad Ecclesiastica nobis paulisper negotia redeundum, hortumque caput Liturgiam, de qua jussus à Rege Clerus Stocholmensis non ita pridem, ut candidum ferret judicium, per M. Abrahamum Scholæ Rectorem quandam Liturgiæ censuram paulò acerbiorem haētenuis conflarunt, & VII. die Septembris Regi Johanni obtulerunt. Critici verò hujus responsi scopus fuit primarius, quod Liturgia Papatui compendiosam pa-raret viam, Patriæ iterū obtrudendo. Quamobrem Rex se religionis si-mul Pontificiæ palam insimulari plurimum indignatus, Presbyterium Stoc-holmense accusatum rebellionis, seditionis, factionis, contumaciæ, insci-tiæ, inconstantiæ, violatæ subscriptionis & approbationis sæpius factæ, functione privat Ecclesiasticā, & paulisper captivat, in ædibus tamen Cleri propriis. Alibi etiam in regno cœpit flamma tumultus ob Liturgiam gliscere, cui licet Clerus in Ducatu plenis sufflaret buccis, tamen regiā protinus vigilantiā, ceū lymphâ quādam copiosa, supprimitur, exitingvi-turque.

Porrò XXIX. Octobris fratrem Rex Johannes hortatur Carolum li-teris admodum amicis, ut reliquias Stenonis Sture quondam regni Gu-bernatoris, & uxoris Ingeburgis, in Sacello prope Griphisholmum mi-nus decenter ac tantis personis convenienter humatas, ad Cathedralem sui Ducatus Ecclesiam transferret cum honore Stregnensem, ibique loco depositas competenti, magnifico decoraret hujusmodi cenotaphio, epi-taphioque, cujusmodi Principum tumuli quorundam veterum, in Stoc-holmenſi, Västenerſi & Vretenenſi nuper cœnobii regiā liberalitate essent ornati. Etenim in monasterio quidem Stocholmensium insulari Magnum & Carolum, Sueciæ Reges olim clarissimos, amplissimo sepulchri honore Rex Johannes decoravit; sicut etiam ipsorum in throno antecessorem Ingōnem, Sunonem, cognomento Sijch, aliasque in Vretenenſi quiescentes Ecclesia, heroas & heroinas. Quod ipsum exhibuit beneficium aviæ maternæ in Basilica sepultæ Lincopenſi. In cœnobii autem templo Va-stenensis, Philippam, Erici Pomerani, & Catharinam, Caroli, Sueciæ quondam dominantium conjuges illustrissimas, simili complexus est be-nevolentia. Eademque pariter utrumque in Ecclesia Alvastrenſi Suer-cherum, munificantiâ & magnificantiâ; Carolum ac Johannem, veteres item Patriæ Monarchs ibi sepultos; velut quoque Canutum, & Ericum utrumque, Reges itidem Sueticos, Birgerumque Jerlium, in Varnhemio tumulatos, ornatiss., nisi præmaturâ nimis morte fuisset præventus.

Erga ipsas etiam regni Ecclesias fuit liberalissimus Rex Johannes, adeò ut paucæ admodum in Suecia, Gothia & Finlandia sint, quæ regiam hac in-re non ostentent, celebrentque benevolentiam. Hanc siquidem confitean-

tur Cathedrales in primis, Upsalensis, Lincopensis, Scarenfis, Aro-siensis, Vexionensis & Abogensis. Deinde Stocholmenses Ecclesiæ, ubi insulanam S. Francisci, & S. Claræ suburbanam, splendide admodum reædificavit. Verum S. Jacobi, S. Mariæ Magdalenaæ, & Dominicanorum inchoavit sumptuose; quas tamen mors vetuit consummare, præter Sacellum suburbanum quod eo fabricavit loco, quo paternus fuerat quondam avus cum aliis regni Proceribus à Christierno Tyranno in-nocenter concrematus. Nec idem prætereà inficiatur Regis benefi-cium, Sigtunensis, Schogensis & Vastenensis, ferturque Rex Johannes animo decrevisse, quaslibet sensim ecclesias, initio reformationis in Suecia passim dirutas, restaurare.

Tantam verò illius hac in re propensionem non ignorans Paro-chus quidam ruralis, cum fortuitò sua conflagrasset incendio Ecclesia, restorationis opem supplex à Rege foris prodeambulante flagitat, inquiens: *Oro Majestatem Vestram, ut combustæ dignetur sanctæ Ecclesiæ auxilia-rem porrigerre dexteram.* Tum quærenti per jocum Principi faceto, ubi-nam esset regionum sancta hujusmodi Ecclesia? Respondit simplex ille presbyter, quòd in villa foret Gryensi. Undè Johannes Rex subridens inquit: *At illam ego Rome arbitrabar floruisse: moxque à jocis ad seria conversus, subsidium illi pollicetur.* Immò non Ecclesiis solum fuerat Rex Johannes tantoperè beneficus, sed harum quoque ministris, & præsertim fīs qui Liturgiam suscipere non gravarentur, illorumque adeò recreabatur conspectu sacerdotum, qui opulenter, juxta tamen conditionem ac functionem decenter, vestiti prodirent, ut alium ipsis similem protinus vestitum, vel certè meliorem sèpè donaverat. Verum à translatio-ne Stenonis nimium digressus, ad illam modo revertar: Nam Dux Caro-lus fraternâ motus admonitione, ossa Gubernatoris & uxoris novis in-clusa loculis, quâ par fuit solennitate, Stregnesiam transtulit quidem, & quodam in choro Basilicæ depositus, nullum tamen mausolæum tumulo imposuit.

Moschus porrò contemptâ Sueci nuperâ excusatione, bellum illi ob Revaliam dissidentis, totis se modo viribus hujus accingit expugna-tioni, ab uno suorum Optimatum persvasus, qui urbem Duci se procu-raturum, vel sub ea occubiturum sanctè protestaretur; in hocque fuit propheta verus, non illo, Deo Revalienles protegente, depræhensus. Quâ proindè fama expeditionis Ruthenicæ Rex Johannes percussus, ne-cessarium obsidioni commeatum & bellicum ex Finlandia providet soler-ter apparatus. Sed ex ipsa minus feliciter Suecia: Etenim quædam navi-giâ hujusmodi onerata ibi rebus cumulatim, cum indè solvissent, partim in Oceano interjecto, partim sub ipsa, tempestatibus nimium qua-sata, interierunt Revalia. Nec minus vigilanter ipsimet sibi prospexerant Revalienses, & ita quibuslibet provisi abunde necessitatibus, Ruthe-nicam non formidarunt potentiam. Moschus verò suas hostibus non pro-ditas esse molitiones existimans, ut eos magis deciperet, & imparatos opprimeret, pacificum simulat animum, & mense Novembri amicis hor-tatur Sueciæ Regem literis, ut Commissariis in Russiam ipsam, non solum ad limitem, quantocius destinatis, secum transfigere non gravaretur; se pro confirmatione pactorum suos deinceps in Sueciam transmissurum fraudulenter promittens.

Nec minus in Suecia bellum gliscet Ecclesiasticum, quam in Esto-nia Politicum: Clerus namque Stocholmensis officio & beneficio priva-tus, domique suæ arrestatus, XX. Novembris supplici ad Regem libello per

per fautores misso , suam excusat rebellionem; subscriptionem Ordinantiæ novæ quidem agnoscit, sed à quibusdam posteà nimis illam mutatam & depravatam queritur , factaque humiliter appellatione ad Concilium in regno liberum , pollicetur , quæ concordibus ibi suffragiis fuerint in negotio religionis conclusa se lubenter suscepturnum , nec his unquam relatarum. Neque illud etiam Rex Johannes aversatus, Clerum Sueciam primarium convocat anni primordio subsequentis Stocholmiæ comparitum , & adversariis congressurum ; Horum verò unus interea P. Laurentius Norvegus, Liturgiæ concinnavit quandam apoligiam , contrario Stocholmenium scripto oppositam. Quâ non Liturgiæ osores deterriti , clanculum domi cum Liturgia & hujus præliantur apologia , telis ex pharetra plerisque D. Martini Lutheri , Johannis Brentii , Martini Kemnicii , & aliorum , Missam Romanam libris oppugnantium , tantisper mutuatis. Præcipue autem Liturgiæ impugnarunt præfationem ; sacrificati præparationem ; & ipsum Liturgiæ canonem , qui cum in plerisque foret Catholico conformis , indè concluserunt totum Liturgiæ opus , Pontificiæ in Sueciam religionis postliminiò introducendæ certissimum esse prodromum. Hos itaque Liturgicomachos Rex Johannes investigaturus , & alios simul sui propositi osores oblocutoresque indagaturus , occultos habuit quosdam passim choricæos , quos præter , Senatus quidam publicus religionis fuit constitutus , ad quem omnes hujusmodi causæ deferebantur examinandæ ac judicandæ ; Qui responsa dabat ; obscura declarabat dogmata ; dubios informabat ; & adversantes Liturgiæ confutabat. Quos proindè vocat M. Abrahamus in suis passim libris Declaratores & Inquisitores , horumque supremus fuit cum suis P. Laurentius Norvegus collegis.

Anno MDLXXVII ineunte , Clerus Regis non Principis Caroli regionibus potissimus , Stocholmiæ congregatus , se ventilationi Liturgiæ accingit , & siquidem plures ex ipso per Upsalensem ac Arosiensem , aliosque persuasi Episcopos , illam demum amplectentur quam aversarentur , cum refractariis habetur in acropoli disputatio. Ibi autem de Sacramenti & sacrificii discrimine acriter fuit aliquandiu concertatum , sententiam Evangelicorum Lincopensi Episcopo & M. Abrahamo præcipue tueribus; Sed Catholicorum aliis regni Præsulibus , à Rege ipso met & P. Laurentio Norvego non parum subinde adjutis , propugnabibus : hique cum innumera veteris Ecclesiæ testimonia pro se adducerent ; & indè , sicut etiam ex Scriptura Sacra , juxta Sanctorum Patrum explicata interpretationem , Rex Johannes vehementer admodum probaret incruentum in Ecclesia sacrificium esse omnino concedendum , plerique adversariorum ad regias tandem partes secesserunt ; Quos inter fuit M. Martinus , Lincopensium Antistes : non M. Abrahamus ; qui Stocholmenium concionatoribus , & Upsalensium Professoribus , aliisque fibi non nullis cum Ducatus Clero adjunctis , Liturgiam deinceps multò acrius oppugnavit.

Istos propterea Rex Johannes officio & beneficio spoliatos relegavit , captivavitque ; qui nihilominus in sua perseverarunt confessione. Verum suæ obtemperantibus voluntati Rex plurima contulit beneficia , sicut de utrisque posteà copiosius dicendum , & nunc ad Stocholmensem revertendum disputationem , vel potius obligationem: ubi simul erant Politici Ordines congregati , hosque Rex Johannes deinde aggressus , non diffulerat ipsos permovit ad subscribendum Liturgiæ ; quod etiam Clerus fecerat XV. Februarii , prævio Politicorum exemplo hujusmodi non pa-

rum insuper animatus; Adeo ut quidam Clericorum non dubitarent calamo testari, se manu, mente libenter, & devotè subscripsisse. Sed in ipso obligationis instrumento asseverat Clerus, se ideo Liturgiam acceptasse, probasse, & postquam domum perveniret, in suis quemlibet Ecclesiis illâ uti statuisse, quod in primis Sacræ foret Scripturæ consona; Ecclesiæ conformis primitivæ; Sacramenti non inutilis administrationi, & sacerdotis præparationi; cui tam internus necessarius esset ornatus, (qui fusis ad Deum orationibus compararetur) quam externus. Deinde quod laudabile non vituperabile esset, ut sacerdos præmitteret & submitteret consecrationi Eucharistiæ pias hujusmodi orationes, quibus se Deo, actionem & oblationem commendaret, obsecraretque ut Sacramentum cederet in salutem animarum sumentibus; In quo tantum contineri sub una specie, quantum sub utraque simul, & tantum sub parte quantum sub toto firmiter esset credendum, juxta sacrum Ecclesiæ hymnum: *Lauda Sion Salvatorem.* Denique quod Christi merita & passio in Missa Liturgica laudabiliter recolerentur, illeque humiliter ibi rogaretur, ut noster vellet esse apud Patrem mediator. Itaque cum istas ob causas, quas sanus nemo possit Christianus reprobare, devotorem Missæ formam modò suscepere, se indigenis pariter & alienigenis excusatum fore certo certius confidit.

In eodem præterea conventu fuit conclusum, ut quicunque, & cùjuscunque conditionis vel eminentiæ esset, & his decretis imposterum se opponeret, pro Regis haberetur rebelli, ac regni perduelli, meritâque plecteretur pœnâ, modò proditus ab exploratoribus, & coram inquisitoribus accusatus. Hujusque statuti vigore cùm M. Abrahamus non corrigeretur, in Alandiam fuit relegatus, velut omnium contumacissimus, & postea reliquos confidens Rex Johannes sibi facilius obtemperaturos, in primis congreditur Professoribus Upsalensis, hisque mandat ut scripto suum proferrent judicium, de nupera Stocholmiæ instituta disputatione. Qui proinde veniam nacti regiam, tempusque operi sufficiens confiendo, ex libris D. Martini Lutheri, de abrogatione & abominatione Canonis, Missæque totius Catholicæ, ex Martini Kemnicii, contra Tridentinum Concilium, ex Georgii Majoris, Zwinglii & Illyrici, olim conscriptis, suam consarcinarunt sententiam; testimonia porrò Sanctorum Patrum, in quantum Sacræ consonarent Scripturæ, non secus, admittunt; Et quandoquidem illa cum hac, inquiunt, non convenient de Sacrificio Missæ, Patribus rejectis, simulque oblatione incruentâ, sacrosancto Dei verbo, non Liturgiæ, vel aliis humanis traditionibus nos mordicūs adhaesuros profitemur; Idque cùm nulli debeat Christiano vitio sane verti, obsecramus nè propterea nostro diutiis officio privemur, sed Academicæ Juventutis informationi clementer restituamur. Hi autem fuerant, M. Petrus Jonæ, M. Olaus Luth, & M. Henricus Gadolenus, qui totam propemodum habuerunt spem in Duce Carolo, velut etiā alii Liturgiæ Aristarchi, collocatam.

Atqui Liturgiæ propugnatores sub regio constituti patrocinio, contra illos & reliquos adversariorum, amarulentum non minus quam luculentum publicant vicissim syngramma, nomine Archiepiscopi, tanquam authoris, subdolè insignitum. In quo antagonistas vocant trans fugas; perjuros; literarum & sigillorum transgressores, violatoresque; posteriorem non esse priori contrariam Ordinantiam, demonstrando. Deinde probant in novâ revocatas velut ab exilio Ceremonias, non esse illicitas, non scandalosas, non impias vel indecentes, sed licitas, pias, decentes,

centes, ordini servientes, & populum instruentes, nec aditum Papatui
ullatenus præparantes, licet Romanæ essent Ecclesiæ ritibus aliquantu-
lum convenientes.

Sed huic non acquiescentes apologiæ osores Liturgici, transmissâ in Germaniam Liturgiâ, super eâ consulunt Academicos Vitebergenses, Helmstadienses, Francofortenses, Lipsenses, & Jacobum Rungium Pomeraniæ Superintendentem, aliosque illic Hyperaspistes Confessionis Augustanæ. Qui libro diligenter examinato, hujus usum Sueonibus magnoperè dissuadent, quòd videretur introitus quidam esse ad reducendum in Sueciam Papatum. Hac proinde Doctorum censurâ Evangelicorum nostri Misoliturgi magis in sua confirmati opinione, pluribus Sueonum ad sua castra pertractis, bellum renovarunt, & graves in regno turbas passim concitarunt. Hinc autem Philoliturgi non parum indignati adversariis, quoddam sub nomine Dæmonis publicant diploma, in quo fingitur Satanas hortari eos velut asseclas sibi fidelissimos, ad tumultuandum, rebellandum, dogma Ecclesiæ Catholicæ non suscipiendum; sed Augustanæ Confessionis retinendum, idem accepturos constantiæ præmium, quod mortuus ipsorum Archipræful pro meritis in Flammeburgo consecutus esset M. Laurentius Nericius. Finixerunt similes Evangelici quasdam in primordio suæ reformationis literas, Suecos à Catholicâ dehortando religione; Harum propterea emulatione Liturgici modò provocati, non absimiles divulgarunt, Sueones ad fidem hortando Catholicam denuò suscipiendam. Sed neutrum probò stratagemma in fidei negotio, quòd in eo candidè sint omnia agenda, & illud verbo Dei fideliter citato non famoso promovendum aliquo hujusmodi libello.

Id Liturgici etiàm facturi, & suam molitionem, religionemque Sacrae Scripturæ & sanctorum doctrinæ Patrum omnino conformem, nunc porrò comprobaturi, typis hoc anno Stochomensibus Georgii Cassandi publicant consultationem; Quam, ceù nucleus Orthodoxæ ac priscæ in Ecclesia primitiva fidei, Sueones minus difficulter suscepturos sperarent, & cum Augustana permutaturos libenter Confessione. Suâ tamen opinione fuerant frustrati: Pleraque enim ille dogmata Ecclesiæ Catholicæ confirmat, & hanc nihilominus nonnullâ indigere passim reformatione graviter disputat, quòd à veteri degenerasset haec tenus Patrum sententia, ac denique reformandam esse, non penitus deferendam, concludit. Inter alia porrò cœlibem Cleri vitam magnoperè quidem extollit, sed clericis tamen nuptientibus esse matrimonium sine piaculo, & cum exemplo, suffragioque veterum facile concedendum. Deinde sumptionem Eucharistiæ Laicis sub una capientibus specie non denegandam, & volentibus sub utraque sine scrupulo esse porrigendam, Patrum subnixus testimonio demonstrat; Hujus circumgestationem Sacramenti, velut novam, improbat; Indulgentiarum similiter promulgationem, & nimium Divorum imaginumque cultum. Missas abrogat privatas quodammodo, & Sacris in vernacula operari non vetat, aliaque limat & limitat Ecclesiæ dogmata Catholicæ, priscis inhærens testimoniosis, ut Lutherana cum Romana facilius posset reconciliari modò Ecclesia, prout ex ipso liquet Cassandi libro, ad quem præfatis non contentum remitto lectorem, & hinc meus per mare festinat in Livoniam calamus.

Initio anni Moschus comparatum haec tenus exercitum, & insigniter armatum, Revaliam misit oppugnatum, simulque in finitimas Sueciæ provincias suum effusurus furorem, quòd Ruthenicos nuper legatos

tos ad Cæfarem navigantes intercepisset Rex Johannes illarum Dominus, MCC. equites levioris armaturæ Tartaricos in Finlandiam ablegavit. Quam tamen non impunè hostis ferocissimus fuit populatus, cum D. Tartarorum ibi fuerint submersi, & reliquorum plurimi ab incolis subito ad arma convolantibus occisi; Deo ita vindicante Moschi perfidiam, quod tempore induciarum Finlandos his confidentes infestare sibi non duxerit religioni. Interim verò grandior Tyranni exercitus, L. hominum constans millibus, sub Revaliam progressus, ipsam XXIII. Januarii arctissimâ cingit obsidione, VII. integris continuatâ septimanis. Quo temporis intervallo acriter utrinque dimicatum, cominus & eminus, noctu diuque mœnia tormentis verberata, in civitatem pyroboli fine numero jactati, & vicissim hostibus inde major longè pernicies crebro fuit illata, tam eruptionibus quam dispersionibus machinarum. Quando Suecus Moschi primùm adeptus literas anno conscriptas priori, X. Februarii die iis respondit, & vehementer Tyranno exprobrans Finlandiæ vastationem, durantibus adhuc induciis factam, præcisè negat se ultra suos missurum posthac legatos, de induciarum prorogatione aut pacis constitutione acturos, quam ad colliminum; Quò si pacis non sangvinis esset cupidus profundendi, Commissarios etiàm quantociùs transmitteret.

Sed misera Regis Erici conditio longum rumpens silentium, me nunc interpellat, & mihi sequentia commemorat lamenta, historiæ pariter inferenda. In nonum fuit hactenùs annum ille captivatus, & interea temporis in castro Stocholmensi, Abogeni, Griphisholmensi, Arosiensi, & modò tandem Oerbygensi, sub arctissima semper asservatus custodia; Ast quod nihilominus suam identidem callidissimè machinaretur liberationem, & hanc instare propediè sèpiùs vaticinaretur; sicut etiàm quod nova quotannis depræhenderetur liberatorum conspiratio, & frustrè multaretur, Rex Johannes magnoperè subveritus, nè tandem libertati & potestate operâ suorum restitutus pristinæ, tantum sangvinis humani profunderet in Patria, quantum nullibi unquam terrarum esset profusum, Consiliariorum assensu intimorum præsidibus vigilum ante captivi fores continuò excubantium, hujusmodi dederat instructiōnem: Si talem illi occasionem affulgere ac imminere animadverterent, quā certissimum esset periculum, nè violenter ex custodia per fautores liberaretur Ericus, in hoc necessitatis casu, non alias, ipsis liberam facit potestatem captivum uno ex sequentibus lethi minus in honesti generibus quantociùs necandi. Mandat enim ut opio per somnum mortifero potionatus, vel pulvinaribus ac culcitrīs in lecto suffocatus, aut mantilibus collo injectis strangulatus, vel demum incisâ utraque brachii venâ evacuatus sangvine, tyrannus ille crudelissimus ita moreretur potius, quam in Patriæ diutiis perniciem vitâ frueretur.

Hactenùs tamen mortem evaserat, quod nulla eam tanti formido periculi maturaret. Modò autem Rex Johannes conjuratione Scotorum, & aliorum Erico faventium, non ita pridem detectâ, velut quoque Mifoliturgorum rebellione factioneque, rebus, procul dubio, novis studiis, aut pristinum Erici regimen desiderantium, necessariò commotus, Sueticæ non esse consultum reipub. fraternalm diutiis mortem prorogare, animadvertisit; Quod alioquin ipsem, uxori, liberi, Proceres, & Patria denique universa propediem indè certo certius periclitaturi viderentur. Ericum proinde morti dudum promeritæ frater destinavit, & cum ferali Johannes Secretarius ferculo, quod Philippus Chernius Regis Chirurgus miscuisset, ad Oerbyensem missus arcem, Domini man-

mandato procuravit, ut Ericus Christianè moriturus, XXII. Februarii die, qui & Dominicus fuit, Sacram, impetratâ peccatorum absolutione, accederet Synaxin. Sequens deinde biduum citra vitæ periculum captivus merito transegit, & posteâ funestus illuxit dies XXV. Februarii, quo toxicum ignarus in pisorum, ut fertur, juscule præbitum absorpsit, indeque miseram efflavit animam. Nec regium ibi funus diu stetit inhumatum, utpotè quod sequenti mense Arosiam mediocri fuit pompâ, non tamen regali, translatum, & in peristylio Basilicæ XIII. Martii terræ mandatum. Durantibus porrò exequiis, reclusus permanxit in tumulo loculus concamerato, ut mortuum certò Ericum præsentibus & absentibus innotesceret, nec aliis personam illius deinceps fortassis mentitus, à Sueonibus fusciperetur.

Funebrem habuit concionem M. Erasmus, & hac, inferiisque simul finitis, tumulus cum loculo occlusis, pullo insternitur holosericô, & non alio inscribitur Epitaphio, quam illâ ex libro Regum III, capite II, non parvæ considerationis, in propinquo exaratâ cum regiis insignibus pariete, sententiâ : *TRANSLATUM EST REGNUM, ET FACTUM EST FRATRIS MEI, A DOMINO CONSTITUTUM EST.*

Hoc præterea tempore amitus Regis Erici Magnus, Saxonum Princeps, relictâ hic uxore Sophiâ, & filio Gustavo, ex Suecia secessit in Germaniam, ubi captus à fratre ad mortem usque fuit in custodia similiter detentus. Verùm quo Ericus die fuit Arosiæ humatus, Ruthenicus sub Revalia exercitus, rebus convasatis, & plus quam III. hominum millibus desideratis, cùm summa indè abiit ignominia, & Revalienses cum ingenti permanserunt gloriâ, CX. solum desiderantes ex suis, partim extra, partim intra urbis mœnia interim ab hoste occisis. Cæterum modernus Daniae ac Norvegiæ Monarcha, Christianus IV. Fridericiburgi XII. Aprilis natus, primas vitæ auras hauserat.

Moschus autem sui exercitus duotoribus, quod Revaliâ non expugnatâ rediissent, multum indignatus, plus tamen Stephano Bathoreo, quod thronum Poloniæ nuper sibi præripuisset, Polonicas Livoniae ditiones, induciis abruptis, statuit impugnare, & cùm Stephanus bello esset distentus Gedanensi, quaslibet ibi munitiones occupare. Itaque reduces armat denuò copias, & has principio æstatis Plescoviam præmissas, ipsem cum filio seniore lentiū subsequitur. Atqui subveritus, nè Suecus infestatione nimis exacerbatus Finlandiæ, ac impugnatione simul Revaliæ, vicissim in sua infestaret absentia Russiæ provincias, blandis illum literis mense Junio demulcet, & fraudulenter denuò inculcat, oratque amanter, ut legatis in ipsam transmissis Russiam, item vellet transigere; obsecrans igitur nè interea Rutheniças infestaret provincias, sed usque Decembrem inducias prorogaret, diem videlicet S. Nicolai. Quando Magnus Tyranni affinis, offensum illius non nihil sibi animum placaturus, ipsum accedere statuit; congressu tamen consultius supersedens, Vendam se contulit. Johannes quoque Suenum Rex, fallacibus Moschi literis nequaquam confidens, tantam invadendi hosticum, & clades Finlandis nuper inflictas plectendi, haud prætermittendam censuit occasionem.

Quocircà mandato Regis, per anni reliquum Revalienses factâ identidem excursione, Moschi provincias in Livonia horrendum vastarunt. Quod ipsum fecerat aliis Sueonum exercitus, Viburgo in Notburgensem & Kexholmensem Russiæ præfecturas digressus, quas in solitudinem propemodum redegerat. Tertius interim classe vectus milita-

ri sub Narviam, tria Moschi fortissima Ivanogrodo propugnacula non pridem adjuncta, flammis XXVII. Augusti solo adæquavit, & victor cum præda remeavit. Tum porro temporis in Diœcesi grassatus Rigenium Tyrannus, belluinam non humanam exercuit sævitiam in incolas, licet se plerique ac munitiones illi sponte subdidissent, dedidissentque, ita per Julium, Augustum & Septembrem, plus quam XXIV. illic arces, cum præfecturis occupans. Nec Stephanus bello implicitus Prusso, licet subfido esset interea vocatus, potuit Livonibus auxiliari.

Victor autem Moschus Derpatum processit, captivum eò secum adducens Magnum affinem, Vendæ XXXI. Augusti conjectum in vincula, cum servitoribus, quod Polono illum non nihil favere comperisset. Quamobrem Derpati cogitur literis se iterum Tyranno quam firmissimis obstringere, novam illi fidem promittendo, homagium præstanto, & spondendo se XL. aureorum millia ipsi primo quoque tempore numeratum. Atque ita dimissus, & Karchusium, Överpaliamque liber ad conjugem remissus, perfidiam Moschi cœpit merito detestari, quod Livoniæ dominio potitus, insuper cogitaret ipsum & Germanorum ibi reliquos, in fines Tartariæ ad perpetuam ablegare servitutem. Tantum igitur ut declinaret infortunium, cum uxore protinus & servitoribus ex Livonia migravit ad castrum in Curlandia Piltense, Moschum non amplius conventurus perfidissimum. Quem tamen Rigensis quidam scriba non formidans, modò aliquot ipsi arces laudabili eripuit stragemate.

Interea temporis Pontus Dela Gardie in Sueciam reversus ex Italia, prænunciat Regi Johanni adventum Legati, à Gregorio XIII. secum ex urbe missi, Antonii Possevini, viri ex Ordine Jesuitico doctissimi. Qui postea Stockholmiam ingressus, ut Cæfaris, non Pontificis Romani, orator, magnifice suscipitur, & mox Regem Reginamque congressus, ipsos nomine Gregorii amanter compellat, Quando præterea luculenter probat, literis productis, animum Regis Johannis Catholicæ studiosum religionis in Suecia propagandæ, Pontifici magnoperè quidem placere, sed modum propagationis saltem displicere; Ideoque suadere ut remotâ hypocrisi, religionis negotio nequaquam conveniente, palam Catholicæ fidei causam susciperet defendendam, inque Suecia promovendam. Prius tamen P. Laurentium Norvegum, & Jesuitarum alios conveniens, propter eandem in fidei negotio simulationem, ipsos graviter admodum increpat.

Cum Possevino reor in Sueciam accessisse, vel non longo ante ipsum tempore in Patriam rediisse illum Botvidum, in Nericia parentibus natum agricolis, virum profectò multâ præditum eruditione, ut in sua testatur Epistola, Botvido Nericio perscripta, doctissimus ille Manutius. Hinc autem reversus in Italiam, Romæ diu moratur, & demum fundis ibi amplissimis dividenditis, in Hispaniam secessit: Ubi etiam doctrinæ suæ beneficio plerisque fuit admirationi & venerationi, hacque si contentus fuisset nominis gloria, nec Comitum se prosapiâ ortum in Suecia, falso illic sparsisset, ad maximos in aula Hispanica honores pervenisset; mediocribus ibi tamen haud caruit, cum ad ipsum, tanquam ad oraculum, in rebus controversis confluxerint quotidie Hispani, horumque ipse vicissim conversatione delectatus tanto perè, ut reliquum vitæ ibi potius, quam in Patria transfigere, & mortem oppetere voluerit. Eum proinde Iberis copiosius celebrandum relinquamus, & in chariorem nobis Sueciam revertamus, cuius singula-

ris quoque amator & præpotens dominator Rex Johannes, Upsaliæ commorans hoc autumni tempore, cum Academicis crebros habet discursus super Liturgiæ negotio. Nec raros etiam cum ipso urbis Præfule M. Laurentio; Qui modò pœnitens subscriptionis, & acceptæ propterea functionis, VIII. Septembris, probat coram ipso Rege, arbitris tamen remotis, Liturgiam cum nec Catholicæ nec Lutheranæ conformis esset Ecclesiis, apud utriusque homines professionis multa parere scandala, causamque esse unicam tot grassantium in regno tumultum.

Verùm his Rex Johannes non immutatus, consilio magis se accommodat Possevini, svadentis palam citra ullam simulationem, Catholicæ negotia fidei proponenda, discutienda & transigenda. Hinc igitur Rex commotus, novum in archiodæo basilicæ Upsalensis fabricat suggestum, ex quo Calendis Novembbris P. Laurentius Norvegus, jussu illius & Legati permisso, sermonem habuit prolixum Suetice, in Regis præsentia, Senatorum & aliorum frequentia auditorum maxima, de interpellatione, venerationeque Divorum. Quo etiam die novum S. Erico loculum Johannes Rex argenteum, deauratum & nuper fabricatum, restituit non parva quidem solennitate. Nam in castro primum expiatus, idque operâ fortassis Possevini, exuvias Divi multo impositas honore accipit, & inde à Catholicis in Basilicam portatus sacerdotibus, solenni admodum supplicatione, prope summam Ecclesiæ aram, collocatur, rutiloque auri diademate desuper suspenso decoratur. Quamquam verò Rex hujusmodi actionibus & molitionibus publicis, suum magis animum denudabat, Catholici amantem dogmatis; Id tamen non curans, præcipuis sui propositi mandat adversariis, M. Petro Jonæ, M. Olao Luth, & M. Henrico Gadoleno, Academiæ Professoribus, ut argumentis scripto responderent, quibus nuper in præsentia ipsorum P. Laurentius Norvegus, sanctorum roborasset invocationem & venerationem.

Post XXVI. verò diem, censuram concionis interea confectam Regi humiliter offerunt, in qua elevant testimonia Sacræ scripturæ & sanctorum Patrum ab æmulo prolata, secus explicant, & concionem simul totam, velut erroneam improbant. Ideoque magis Rex Johannes illis offensus, impietatis, stoliditatis, & ruditatis palam accusatos, liberæ tradit custodiæ. Moxque Stockholmiam profectus, ibi Academiæ instaurationem cœpit moliri, Liturgicis solum fautoribus, seu potius fidei Catholicæ sectatoribus, committendæ; Cujusmodi etiam homines aliis Ecclesiæ Suecanæ officiis tantum præficiendos statuit. Et propterea Laurentium Forsium, ex suis unum Sacellanis, Parochum facit Stockholmensem. Ast idoneum cathedræ Abogensis Episcopum non inveniens, his aliisque de causis, nullum Paulo subrogat successorem, ante MDLXXIII. & ita per septennium caruit Præfule Finlandia: Nam Paulus Justen, MDLXXIII. ex Ruthenica liberatus captivitate, triennio solum supervixit, cum MDLXXVI. in fata concesserit.

Anno MDLXXVIII. Moschus Vendam nuper amissam recuperatus, mense Februario illam frustrâ impugnat; Nam oppidani hostes animose repulerunt; & præterea intelligentes Rutheni obsecisis subsidiū Rigâ propediem affuturum. indè cum dedecore abierunt. Præsidium vero Dicis Magni Ofverpalense, cognitâ domini fugâ, summo perè trepidavit, & submetuens nè Moschus arce potitus, omnes ibi comprehensos trucidaret, aut in Tartariam relegaret. Propterea consultius Ofverpalenses rebus & vitæ suæ ducentes, castrum Suecis pro-

dere: id Gubernatori, literis ad ipsum quantocius missis, deferunt. Nec ille oblatum recusavit, licet nullum à Rege mandatum haberet; & Germanis atque Danis inde Revaliam traductis, præsidio arcem Suetico firmavit, mense anni currentis secundo. Interea Fridericus Danorum Rex, fratris motus literis de Moschi perfidiâ graviter conquerentis, novâ ipsum legatione statuit compellandum; Danicique Oratores in Maijo Parnaviam cum magnificentia delati, Novogardiam aut Plescoviam versus ad Tyranum properarunt, à quo verba solum reportarunt.

Calendis Junii cohortes Sueonum ex Revalia & Overpalia progressæ, amplissimum, locupletissimumque Derpati suburbium IV. Junii, opibus spoliatum concremarunt. Rutheni proinde nostratibus vicem relaturi, Overpalensem populantur ditionem, præfidiariique nimium pauci in hostem ex castro effusi, partim necantur, partim captivantur. Deinde viatores arcem exiguo munitam præsidio aggressi, X.V. Julii eam obseverunt, statumque illius periculosum non ignorans Estoniæ Gubernator, auxiliares convocat ex Finlandia copias, & M. CC. Revaliâ emissos pedites, equitesque Overpaliam versus, jubet interim obsecisis ferre subsidium. Verum quando lentius utrobique progrediuntur, hostes XXV. Julii castro potiuntur, propter summam rerum inopiam dedito; & præfidiarii cæduntur, ac reliqui in miserrimam abducuntur captivitatem. Nec solum Overpaliam illa flagellavit annonæ caritas, famesque, sed totam Estoniam, & præcipue Revaliam, ubi plures incolarum inediâ mortui perhibentur.

Quo Rex Johannes tempore, pro solenni aliorum in orbe Christiano principum, Ecclesiæ Catholicæ auscultantium consuetudine, suum habuit perpetuum Romæ Oratorem, quandam Malvesium, quibuslibet Sueciæ negotiis ibi expediundis non segniter invigilantem. Hic autem residens vicissim Antonius Possevinus, Georgii XIII. à latere nuncius Apostolicus, & dogmati huc aditum Catholicò sensim propagando indies magis disponens, aliquantulum suæ potestatis cum P. Laurentio Norvego communicavit, ut ipse Legati præsentis vel absensis tanquam vicarius, partem oneris sustineret. Eâ verò fretus prærogativâ P. Laurentius, in quadam matrimonii causâ cum Johanne Henrico, Regis Secretario, postmodum dispensavit, literasque hoc super negotio vicarii das Johanni, Archiepiscopus naætus, indè, sicut etiam ex nupera P. Laurentii concione, ac libellorum de iisdem materiis quorundam promulgatione, liquido Catholicorum in Suecia molitionem cognovit. Itaque submissim receptui canens, & promotæ Liturgiæ, quod esset velut introitus ad Catholicam fidem Suecis obtrudendam, pœnitens, collaudatâ Misoliturgorum constantiâ, cum ipsis secreto in gratiam rediit: Prius tamen interfuit Conventui Stocholmiæ celebrato, & Romanæ tum ignarus machinationis, reliquo perswasit Clero, ut novam approbaret Ordinariam. Enimvero conspiciens Rex Johannes citra tumultus periculum gravissimi, se palam suo indulgere proposito nequaquam posse, conserto illud modo, velut securiore, per Legatum fortassis etiam permisso, decrevit promovere; proptereaque dictam habuit Stocholmiæ Synodus.

Interea porrò Suecus à Polono amica compellatus legatione, super nominum præfertim solutione adhuc prorogandâ, suum vicissim remisit in Polonię XXX. Augusti Oratorem, ibi perpetuum, Andream Loricium, cum instructione hujusmodi: Primo, quandoquidem Serenissimus Sueciæ Rex, L. thalerorum millia loco dotis cum uxore sibi promissæ; CXXXIV. millia Regi Sigismundo Augusto quondam mutuata;

CXXII. millia ex proventibus munitionum ac ditionum in Livonia sibi oppignoratarum, per XVI annos à Polonis levata; prædia conjugis materno ære comparata, nec paucis thalerorum millibus æstimata, hæreditatis portionem illi à defuncto relictam avunculo, ad plurima ascendentem argenti signati millia; & tandem IX. millia his nominibus exigendis vario interim tempore impensa, meritissimo jure à Polona exigat republica; hæcque prætendat sibi non licitum bona regni externo tradere Principi. Se propterea desiderare affirmat, ut sibi ex bonis solveretur, quæ illustriſſima uxoris foror in Italia & Ducatu obtineret Brunsvicensi. Deinde partem ex gaza Tichesimensi, competentem liberis, conjugique flagitat, potestatem faciens Legato, ut magno Cancellario, vel alteri Optimatum, cuius operâ hujusmodi nominum solutionem impetraret, numeraret inde loco honorarij, XII. aut XV. millia thalerorum; sicut etiam ut Boruſſorum Principi hinc ſatisfaceret XXX. millia & CD. thaleros à Sueonibus postulanti.

Cæterum exercitus Sueonum, qui ferò nimium Overpalensibus ſubſidio advenerat, deditioне arcis cognitâ, plurimum ideo contristatur; velut etiam quod gravifſimam Regis offensam, propter non latum tempeſtive obſeffis auxilium, eſſet certò incurſurus. Quamobrem concorditer decrevit, insigni quopiam fortitudinis documento, & singulari noſumento hostibus primâ occaſione iſficto, regiam denuo gratiam promereri; Quandò intelligens Ruthenos proximâ elatos animatosquè victoriâ, novam alioverſum expeditionem fuſcepiffe, ac propterea minas spirans, vindictamque cladi commilitonibus iſfictæ anhelans, Revaliâ Parnoviam uſque per XX. millia furibundus excurrit, ut offensos alicubi locorum hostes invaderet.

Interim verò emiſſis quaquauerſum exploratoribus, cognoscit Ruthenorum XVIII millia Vendam obſediſſe, & modicas Polonorū cohorteſ in vicinio hærentes, ſociæ urbi extreμum ferre ſubſidium, contra tantam hostium non audere multitudinem. Ipſemēt propterea ſubverens etiam Moſchos tam numerosos ſolus aggredi, per nuncium Poloniſ ſuam defert operam, ſvadetque ut conjuṇctis armis communem invaderent hostem, adeò crudeliter in Livones ubique ferocientem. Iſta Georgius Boije Sueonum ductor, Andréaſ Sapihæ Polonorū antefignano pereſcripſit; hicque licet principio tantam Sueonum benevolentiam & clementiam alienæ provinciæ ac oppido citra præmium oblatam, habens ſuſpectam, nonnihil tergiversaretur, tamen Suecorum candore amoreque in amicos Polonos & Lithuanos Livonesque probe conſiderato, lubens commilitio aſſenſit. Mox proindè conjuṇctus uterque exercitus, in Ruthenos animoſe contendit, hostibusque XXI. Octobris congressus, clarifſimam obtinet victoriam; quippè plus quam VI. millia illorum cæcidit, & reliquis aut captiſ aut fugatiſ, ampliſſima colligit ſpolia, æqualiter utrinque diviſa, præter XX. & aliquot bellicas machinas, quas minus justè ſibi Polonicus vendicans, Regibus confoceris largam præbuit anſam poſteā litigandi. Sed modo nihilominus Sueci & Poloni centum ex utraque natione commilitibus tantum deſideratiſ, ſibi amicifſimè valedicunt, & nostri V. Novembris Revaliam cum triumpho redeunt. Deinde priftina fortuna plurimum ubique mutata omnem Ruthenis ſuccellum aliquandiu negavit.

Porrò dum gladio in Livonia pugnat, calamus quorundam in Suecia Liturgiam oppugnantium non feriat, & præſertim Archiepifco- pi, qui cognitis nuper infidiis Catholicorum, haſtenus occulte librum conſcripſit quendam, iſpumque mense Novembri, nomine ſuppreſſo inter-

amicos dispersit, ita inscriptum: *Rospnsiones brevissimæ contranovas Papistarum machinationes, intra limites patriæ excitatas.* In ipso autem opere has illorum producit molitiones, videlicet, quod Sueonibus persuadere conarentur, ut potius crederent sanctis primitivæ Ecclesiæ Patribus, scripturam interpretantibus, vera ab illis demonstrari, quam à novis Evangelicorum scriptoribus: *Quod præterea nostratibus passim inculcarent, Evangelicos in regno sacerdotes, cum suam ordinationem haud possent legitimam, successionemque à Christo & Apostolis continuam probare, non esse veros Pastores, nec ullum confidere Sacramentum, ast suos decipere sectatores, auditoresque. Demum quod iisdem Sueonibus antiquatam de veneratione ac invocatione Divorum instillarent doctrinam. Quibus adversariorum propositionibus tandem respondit P. Laurentius Norvegus, antagonistam Archiepiscopum fuisse ignorans.*

Anno MDLXXIX. Moschus damno sub Venda nuper accepto tantoperè fuit commotus, ut non illam modò & reliquam Livoniæ universam, sed etiam Curlandiam ac Prüssiam, sub jugum mittere omnino Ruthenicum decreverit. Tanti proinde operis fundamenta tempestivè jacturus, hujus principio anni, comparatis à Chrimensium Principe Tartarorum care admodùm induciis, centum millia bellatorum cogit undequaque, & hujusmodi exercitum per hyemis reliquum, cum grandioribus belli machinis, cæteroque apparatu, Plescoviam sensim præmittit. Nec Livones hostis latuit molitus, qui propterea Oratoribus ad Regem Stephanum quantociùs ablegatis, Polonorum, Lithuanorumque implorant subsidia. Hinc autem Stephanus provocatus, habitis protinus Varsaviæ Comitiis, amplissimos belli sumptus per decennium in Ruthenos gerendi ab Ordinibus impetrat, & pro his actutum XXVI. millia pugnatorum sibi comparat. Nec suis etiam Sueonum Rex indormiit rebus, qui haud ignorans hostes primum in Revaliam, & cæteras Estoniae urbes, arces ac provincias impetum facturos, ut illos in ipsa distineret aliquantulum Russia, mense Februario, binos in hosticum instructissimos exercitus amandavit, unum quidem per Viburgi ditiones, alium verò per regiones Narviam & Nyslotiam distinantes. Qui ad veris usque primordia illic crudelissimeque præliati, locupletes & indemnes cum victoriâ indè regrediebantur.

Interea temporis M. Laurentius Sueciæ Archipræfus, domi cum morte luctatus, & ab illa superatus, XII. Februarii animam efflavit, indeque vacavit Upsalensis, sicut & Abogensis, cathedræ quinquennium. Quo temporis spacio, commodissimam nacti occasionem Philoliturgi, Catholicam magis promovendi in Sueonia religionem, hujus in primis fidei Archiepiscopum Suecis obtrudere laborarunt. Ideoque hujusmodi idoneus officio reputatus præ aliis quidam Magnus Laurentius, fratre genitus Johannis & Olai, ultimorum in regno Archipræfulum Catholicorum, pro informatione ac ordinatione hinc in oras emititur transmarinas & transalpinas. Et quandoquidem novus Antistes non paucis opus haberet cooperariis, adolescentes nobilioris ingenii ex toto passim regno collecti, ad Gymnasia simul Jesuitica, Romam, Olomucium, Vilnam & Brunsbergam catervatim transmittuntur; horumque fuerunt primarii Petrus Braschius, Petrus Salemontanus, Joannes Josvila, Nicolaus & Andreas Servii, Andreas Gersius, Laurentius Bogerus, Andreas Stalerus, Olaus Sundergeltius, Andreas Olavius, Samuel Grabenius, Magnus Andreæ, Jonas Petrius, & Georgius Palmerius.

Nec in aliis hujus negotii partibus domi fuit promovendis feriatum;

tum; Siquidem libri Catholicorum plenis in regnum doliis illati quotannis studiose dispergerentur, quos inter præcipius erat, Mathiae Bredenbachii libellus de componendis Ecclesiæ diffidiis, & Canisii minor Catechismus; qui etiam Suetice versus & modo Dantisci impressus, in regno avidius expetitur. Præterea concionum scriptores varii, & potissimum Johannis Echii Homiliae, controversiarumque Enchiridion, magno hic studio publicantur. Deinde ut cum grato melodiæ sono Catholicum simul dogma in aures canentium & audientium influeret, priores Evangelicorum non paucæ cantiones immutatae fuerunt, illaque præ aliis quæ Pontificio & Turcico male imprecatur dominio, sic variata: *Conserua Deus verbum tuum, & frange vires hostium, &c.* Plures tamen Ecclesiasticae de novo concinnatae; Divorum invocationem comprobantes; Eliæ ac Enoch redditum postremo mundi tempore futurum inculcantes, & simul Lutherum, non Papam esse Antichristum asseverantes, illum erroris oblique insimulantes; vitam insuper monasticam; peregrinationem votivam; jejuniorum observationem; majorum devotionem; & imaginum piarum, sanctæque crucis venerationem, commendantes. Nec ipsa demum Litanie mansit intacta, utpotè cùm in ea oratio pro mortuorum animabus piorum à cruciatus liberandis, fuerit inserta; hujusmodique astutiæ pristinum de Purgatorio dogma auditoribus inculcatum.

Quæ omnia regio fiebant permissi, & jussu, instinetuque Possevini, & simul Rex Johannes uxori ac liberis, Catholicis, facello peculiari apprando intentus, elegans profectò quoddam in parte castris Stocholmensis anstrum versus protensa, illis fabricavit, hujusque pinnaculum Sacrosancto Jesu nomine illustravit. Nec minus venusta est porticus eò dicens, quæ præter alium ubique ornatum oculis inambulantium & spectantium sanè gratissimum, habet etiam parietem utrumque selectissimis quibusdam sententiis ex Sacro profanoque jure transcriptis, lectorem in Divino humanoque quolibet negotio utramque concernente rempublicam copiose instruentibus graphicè inaratum. Quæ profectò lemmata, sicut etiam alia foris, intusque passim in hoc castro & reliquis per Sueciam quibuslibet inscripta parietibus problemata, Regis Johannis pietatem, probitatem & prudentiam non obscurè spectatoribus demonstrant. Sed crebrioribus & illustrioribus ideò porticus distincta Stocholmensis, quod frequentius hac morans Rex acropoli, quotidie in ea obambularet porticu; graviora regni negotia ibi ponderaret, & sub tholo suum haberet oratorium, devotis ornatum undequaque imaginibus, hicque frequenter visus etiam post obitum in pristino habitu spatiari.

Plurimam quoque navavit hoc simul tempore operam Regis frater Princeps Carolus, ædificiis arcium in suo Ducatu ornandis; & præcipue cùm instaret tempus nuptiis deputatum celebrandis, Neonymphæque in patriam adducendæ. Nuper etenim Princeps suis in Germaniam Legatis magnifice destinatis, filiam Ludovici ad Rhenum Palatini, Mariam, nullo non virtutum ornamento præter nobilissimum generis splendorem decoratam, sibi despontaverat. Ipsem autem veris hujus initio Heidelbergam profectus, ibi XI. Maji sacra peregit connubialia. Interim domi fama obvolitans, sponsum Calvinisini à novo ipsi socero instillati, passim insimulavit. Sed ille hujusmodi rumoris ignarus, amoribus dat operam, quando heroicis nuptiarum solennitate facinoribus palam exhibitis, & præsertim catadromiâ, præsentibus Germaniæ Principibus palmam fermè omnibus præripuit; Quibus deinde, soceroque valedicens, in Sudermaniam cum nova Nuptâ properavit. Et hujus quidem in illam adventus

toti fuerat regno persalutaris; Enim verò nisi ex una parte deinceps Princeps Maria, ex altera Regina Catharina, inter Regem Johannem & Ducem Carolum, plus quam Vatiniano dissidentes subinde odio, se velut sequestres sæpenumerò interposuissent, illo Suecia incendio tota penitus conflagrasset. Cujus propterea beneficii nomine, utraque immortalem apud Sueones memoriam, & gloriam promeruit heroina.

Cæterum Johannes Basilius Russiæ Tyrannus, omnibus belli rebus probè haecenùs præparatis, mense Junio, Plescoviam ingressus, cognoscit Polonum Vilnâ cum immenso etiā exercitu profectum, in ditionos festinare Moschoviticas; Indeque metu perculsus, Livoniæ suspendit impugnationem. Et Stephanus in hostes progrediens imperterritus, per sequens trimestrè, Moscho Polociam, Socolam, Tauroliam, Casianam, Crasniam, Sishiam & Sussam, fortissimas Russiæ munitiones, & amplissimas in circuitu regiones, potenter armis surripuit: Deinde victoriam persequens, provinciam Smalenchoviensem, Cernigovensem & Severensem, usque Staradubium ferro flammaque populatur, ac tandem receptui canens, victoriosum in hyberna reducit exercitum. Nec interim Sueciæ Rex sibi feriandum ratus, instructissimâ mense Julio classe militari sub Narviam transmissâ, civitatem Ivanogrodensem, & suburbium Narvensium, incredibilibus spoliata divitiis, in solitudinem flammis redegerat, ac simul ex advenarum naviis in portu hærentibus non minorem collegerat opulentiam, inde Revaliam & Stocholmiam cum triumpho protinus deportatam.

Moschus ideo Suecis vicem relaturus, aliquot millibus Tartarorum in Harrigiam immisiss, provinciam Revaliæ subjectam truculenter admidum vastavit. In populatorum autem egressæ Sueonum in Estonia cohortes præfidiariæ, illos quærunt ad internectionem, & cognoscentes hostem sub Vesenberga refugium captasse, ibi illum aggredientes, tormentis ex castro impetuntur, & redire compelluntur. Unus tamen nostratum, Ivo Schengenbergerus agricolarum Capitaneus, temerario quodam ausu cum imbelli suorum turba Tartaros porrò lacestens, suæ pœnas luit temeritatis. Etenim nimiâ hostium multitudine obrutus, cum plurimis commilitorum ipmet captivatur, & Plescoviam in castra Moschi perductus, matatur.

Prioribus verò Sueonum victoriis, de Moscho sæpius reportatis, Chrimensium Princeps Tartarorum instigatus, modo suos Sueciam versus allegavit Oratores; Qui XVIII. Augusti Stocholmiam ingressi, binos Regi Johanni Camelos & Cantherium multi valoris Equum donarunt, rogauitque ne' ullatenus Rex cum perfidissimo Ruthenorum Tyranno transigere dignaretur. Nec Sueco ingrata fuit Oratio, & præsertim fœderatio contra Moschum, quam Legati simul nomine sui Principis flagitauit, promittentes ex oriente hostem armis Tartarorum haud segniter distentum iri, dum ab occidente per Suecos impugnaretur. Quamobrem Rex Johannes oblatum acceptans fœdus, novo hujus socio amplissima per Legatos posteà remissos munera transmisit, & plura longè promisit, si fidelem Stipendiariorum operam hac in re experiretur.

Priusquam verò Tartarorum advenissent Oratores, Suecus nuperā ditatus prædâ, & victoriâ plurimum animatus, ipsam quoque Narviam utramque, Livonicam scilicet ac Ruthenicam, statuit expugnare. Propterea numerosum mox exercitum, pedestrem & equestrem, undequaque congregatum, navibus imponit. Qui mense Augusto Revaliam perlatus, inde Narviam contendens, illam XIII. Septembris cœpit oppugnare.

gnare. Verum quod promissus non advenisset ex patria commeatus, & aliquem ex hostico providere continua Tartarorum incurratio impedit, gravissima in castris suborta fames pestisque Sueones ad solvendam Narviae obsidionem compulerunt. Nam praeterea variis cœli injuriis, & assiduis præsertim imbribus defatigati, XXIX. Septembris vasa conclamarunt, quos Revaliam inde pergentes à tergo infestarunt agmina hostium, & subito nimis accessu recessuque velut maris æstu crebra nostris damna intulerunt.

Quo tempore særior domi hostis occæpit in Suecos grassari, nimis peste contagio usque adeò terribilis, ut per sequens trimestre in sola Stockholmia plus quam XII. millia hominum ea prosterret, & per Sueciam alibi regionum multò plures, Ostrogothiā tantum exceptā; In quā proindē Rex Johannes tuta hyberna de legit. Sed nullibi Estonibus securam Russi mansionem permiserunt, qui Harrigiā iterū vastatā, in Vichenses crudeliū multò desævierunt.

Initio etiam autumni quidam Laurentius Erici, ex collegio Romæ Germanico, Stockholmiam reversus, à Possevino frustrè monetur, ut omissum repeteret studiorum curriculum, & fidem non desereret Catholicam. Quippe in famulitium Ducis Caroli nuper in Patriam similiter cum uxore nova reversi mox adoptatus, Catholicos atrocissimo libello, de Romana potissimum devotione, septem videlicet Ecclesiarum visitatione, ac reliquiarum ibidem monstrazione, lingvâ vulgari conscripto, deinceps perstrinxerat. Is porrò dictus vulgo inde Rommare-Lassius, in quandam mentis alienationem temporis progressu incidit, nec unquam inde convalescens, in ea moritur insania, quam ipsi velut apostatae meritò contigisse Catholicī postea dictitarunt. Reditu praeterea Ducis sui Clerus ex Diœcesi Stregensi plurimum roboratus, & Nicopiae XXVII. Septembris congregatus, habitâ cum Principe simul deliberatione, se juramentis, literis & sigillis obligavit, quod Liturgiam nullo unquam tempore suscepturnus, nec Augustanam confessionem in ullo articulo foret deserturus.

Moschus demum Polonicis & Sueticis haetenus armis non parum fatigatus, pacem cum Stephano inire voluit, ut Johannem commodiū impugnaret, eoque prostrato, Stephanum debellaret. Hunc proindē sub exordium brumæ à vastandis & expugnandis Russiæ ditionibus munitionibusque dehortans, orat ut potius secum pacisceretur. Verum Stephanus Moschoviticæ non ignarus fraudis, Ordinibus Poloniæ ac Lithuaniae iterū Varsaviæ convocatis mense Decembri, eorum consensu belli continuationem, & foederationem pariter cum Sueco in Ruthenos pangendam constituit. Nec ipsam Rex Johannes aversatus, Comitia indicit, Vasteni initio anni sequentis his aliisque de rebus celebrandā.

Hispanus praeterea Belgas sibi rebellantes ad pristinam armis compulsurus subjectionem, Sueci amicitiam suis percommodam partibus, ob varia & hujusmodi bello necessaria hinc petenda subinde auxilia, depræhendit. Et propterea Oratore nuper in Sueciam transmisso, ad sodalitium commilitiumque velleris aurei Regem Johannem amicissime invitavit. Ac simul obsecravit, ut sub fœderis pacto ineundi, liceret sibi materiem navibus idoneam fabricandis in Vestrogothia pro legitimo comparare precio; ex illa classem ibi navium apparare; commeatu ab accolis empto instruere consummatam; ex portu Elsburgensi educere armatam in hostes; illuc reducere; lageram reficere, prorsusque

tutam pro classe & classiariis illic stationem, & hujusmodi provisionem requirere. Hoc igitur super negotio Rex Sueonum compellatus, nec tanti anicitiam Principis spernendam ratus, quo pacto novi amici satisfaciendum esset votis, cum regni sui Proceribus diu multumque deliberavit. Interim vero Legatus flagitii cujusdam in Suecia commissi pœnas subverens, re infectâ, nec deinceps perfectâ, clâm sibi fugâ consuluit. Quandò perillustris Domina Cecilia, Regis Johannis germana, & vidua Christopheri Marchionis Badenfis, post mariti obitum in patriâ cum liberis commorans aliquandiu, quod esset Catholica, plurimùm à conjuge fratrī Catharina diligebatur; Quæ tamen hinc postea in Marchionatum reversa, non amplius in Sueonia comparuit.

Anno MDLXXX. Congregatis in oppido Västenensi Ordinibus, Rex Johannes Sophiæ nuptias filiæ naturalis, Ponto De la Gardie sponsatæ, consummaturus, harum peragit solennia XIV. Februarii. Ipso autem inaugurationis momento, in Ecclesia monasterii celebratæ, sublimior templi ambitus, præ nimia hominum indè prospectantium frequentia corruens, XXIV. illorum sauciavit, & unum proflüs necavit. Aliam tamen hujus causam ruinæ, & quidem prodigiosam nonnulli scriptorum adserunt; quam nos Divino linquentes scrutinio, ad Comitia pergamus. Quorum principio, nimirūm XIX. Februarii, amplissimus regni Senatus sequentes Regi articulos, ibi simul ponderandos, scripto providenter suggestit. Ac in primis quidem de rebus sollicitus Ecclesiasticis, cùm intelligeret Majestatem regiam intra extraque patriam, religionis nomine, pejus indies audire, quod insimularetur passim & novorum & veterum Suecis hætenus obtrusorum dogmatum; ac ideo famæ Regiæ consulturus, tumultibusque occasionem præcisurus, suasit Regi, ut coram Regni Presbyterio se quantocyùs excusaret, & comprobaret, ad evitanda illa varia & nefaria religionis Schismata, quæ orbem modò Christianum miserabiliter laniarent, contaminarentque, primitivæ Suecanam Ecclesiam, velut puriori & infallibiliori nonnihil esse accommodatam; non vero ad introducendum vetera seu nova in patriam dogmata, esse depravatam.

Præterea monet, si omnem Rex Johannes vellet suspicionis hujusmodi occasionem penitus tollere, ut publicato edicto prohiberet, nè imposterūm tot libri Catholicorum in regno divulgarentur; & provideret simul, ut Scholæ Sueticæ Ludimagistris non suspectæ fidei demandarentur, studiaque consueta hætenus aliquandiu intermissa, in Gymnasio instaurarentur; velut etiàm ut filium sceptri hæredem in Augustanâ, non Romanâ, educando Confessione, illum Sueonibus redderet ita gratorem; Qui aliæ subveriti, nè gubernaculo potitus, suam ipsis obtrudet religionem, illumque quodammodo aversarentur. Deinde ad Politica regni negotia procedentes Consiliarii, Regem hortantur, ut pacem cum Moscho potius iniret, quā bellum diutius gereret, quod in hoc miles regni nimium fatigatus, ad quietem aspiraret; Cujus etiàm hostis non minus forte cupidus, tolerabilioribus nobiscum legibus, dubio procul, non tergiversaturus pacisci. Propterea etiàm non inconsultum existimant, ut regius in Polonia Legatus, non solum nomina ibi exigeret, ast simul provideret, nè Stephanus cum Moscho in gratiam, Suecis exclusis, rediret, & fœdus cum ipso, vel Danorum Rege, nostratis suboffenso, iniret. Ac nè Danica, & aliæ nationes finitimæ, maritimæque in navigatione diutius Narvicâ mercibus spoliatae, ad bellum nobis inferendum hinc provocarentur, consulunt, ut hujusmodi maris

maris infestatio posthaberetur. Et intermissis simul fabricis Ecclesiasticis, minus necessariis, torum Sueciæ, Gothiæque robur, ad firmandas occidentales & boreales regni munitiones, contra Danicam fortassis machinationem & impressionem, converteretur. Sicut quoque cum tempus controversiæ trium Coronarum ventilandæ, in oris exteris conditum appropinquaret, suadent Senatores, ut Rex Johannes tempestivè Palatinum & Lantgravium ad hanc invitaret actionem, futuros ibi Sueonum Compromissarios; moneretque illum pariter Doctorem, cui nostra Bothvidus Nericius tradidisset documenta, ne proderet ea Danorum actoribus vel fautoribus. Atque interim sicuti plura hujusmodi monumenta, Suecicæ patrocinantia causæ, Romæ, vel alibi terrarum posset sua Majestas indagare ac comparare, ut nulli parceret labori, magnopere obsecrant. Ad extremum porrò dissuadent, ut Christophero Magnipotensium Principi, siue in Sueciam navigationi, quædam obtendenti maris discrimina, & sponsam petenti Elizabetham, illuc ad nuptiarum sacra transmittendam, ullenius obtemperaretur, antequam per suos hic Legatos, de bonis illi caveret vitalitiis. Nec minori fuit curæ Senatui illa penfio annua Chrimæis promissa nuper Tartaris; & quandoquidem confideret arma per hunc annum suspendenda, neque fœderatorum proinde nobis modo requirenda, consuluit, ut directis in Tartariam literis, tantisper exauthorarentur, ne alioquin stipendia flagitarent deputata, citra ullam nobis operam ibi navatam.

Hujusmodi consilia Rex Johannes non aspernatus, pleraque Ordinibus ponderanda & concludenda proponit. Ast de reliquis ipsem et conventu soluto disponit, præcipue quidem de religionis negotio; prium per literas seriò admonens Laurentium Norvegum, ut prudenter, non insolenter causam ageret Catholicam Stocholmiæ. Västeni autem Possevinus degens, eandem Regi commendare præsenti haud negligit, tantumque fertur haecenus profecisse, ut Rex Johannes probè informatus per Legatum de Catholicorum dogmate, ipsâ exhomologesi expiatus, sumpto Eucharistiæ Sacramento, factaque clam fidei professione, modò fuerit Catholicæ reconciliatus Ecclesiæ. Prius tamen varias habuit disputationes cum Possevino, & interrogations, quarum responsones deinceps Ingolstadii sub hujusmodi prodierunt titulo: *Antonii Possevini responsones, ad Nobilissimi viri Septentrionalis interrogations, qui de salutis æternæ comparanda ratione, ac de vera Ecclesia cupiebat institui.* Suæ præterea mansionis in Suecia tempore Possevinus, animadvertisens Davidis Chyträi libros plurimi à Sueonum æstimari presbyterio, & nimium suo adversari proposito, scriptum contra illos publicavit, idque nactus mox Chyträus, Legato acerbius respondit, quam ut Regi Johanni placeret, licet ei apologiam & historiam prius Augustanæ Confessionis dedicasset.

Simul etiā Possevinus modò intentus commodo Västenensis Cœnobii quod inhabitabat, monialium laudat in Catholica fide constantiam, quoniam sub Gustavi & Erici quondam regimine, ad conciones Evangelicorum audiendas compulsa, cerâ & bombyce aures obturassent; Quasdam Novitias inaugurat, illarumque sub consecratione non parvum contigisse miraculum memorat: *Quod M. Abrahamus, ut & aurum obturationem, saepius posteà subsannavit.* Monachorum porrò unum duntaxat in contiguo reperit claustro Possevinus, quem pariter confortat, & pro utroque condit Cœnobio quædam statuta imposterum servanda. Existimo autem præfato nomen fuisse Monacho, Johannes, qui cucullo quondam abjecto, & ductâ uxore, Parochum diu in villa egisset Hershamensi prope Bravichiam, & post obitum

tamen conjugis ad cœnobium reversus fuit, ibi reliquum vitæ transègit, in Ecclesia monasterii concionando, & Vestalium exhomologesin subinde auscultando, illique postea in subsidium fuerant missi, Johannes Josuila, Magnus Laurentius, & Andreas Servius.

Verum Principis Sigismundi fuit concionator, M. Petrus Salemontanus; quem Regni Senatus, Ducem hoc tempore honoris gratiâ in cœnobium comitatus, eloquentiæ non citra admirationem auscultavit perorantem. Quando, ut reor, novos Rex Johannes SS. Birgittæ & Catharinæ loculos ex argento fabricatos inaurato, restituit. Quos grato suscepit animo prænobilis cœnobii Antistita Catharina, ex priscâ Gyltarum familiâ genus traducens, & proiectam agens modò ætatem, virago tantæ profecto prudentiæ ac eloquentiæ, ut ipsam propterea Rex plurimum admiraretur, venerareturque, colloquio illius mirificè delectatus; sicut etiam eloquio tam Suetico quam Latino; siquidem hujus non ignara esset, quam & veteris historiæ, dandoque interrogatis responso, acuta vehementer, prout sequens illius responso Regi semel data liquidò testatur. Contigit enim quadam vice, ut Rex Johannes in viridario seu pomario Monasterii cum ea inambulans, per jocum interrogaret, utrum ipsius virgines non cogitarent aliquando, & exoptarent amplexus viriles? Tum illa vicissim interrogandi licentiam obtinens, querit à Sua Majestate; nunc quid volucribus cœli non posset facilius prohibere in suo nidificare horto, quam per ipsum volare? Ac responsum naœta, quod illud quidem esset possibile, hoc autem impossibile; porro subintulit: Ita ego, meaque in Christo sorores, ascensum in animis hujusmodi cogitationum prohibere neutquam valemus, sed illarum, Dei gratiâ roboratae, consensum, velut quandam in iis nidificationem.

Hoc pæto, aliisque Rex Johannes Antistitæ, ac reliquo Monasterii contubernio, tantoperè addictus evasit, ut pluribus cœnobitas prædiis donaret; redditibus ornaret; claustræ fabricam fartam, tectamque conservaret; profugas inde Moniales vehementer multaret; & remanentes novis annuatim donis honoraret. Nec uxor Regis Catharina, maritum ad tantam simul impulisse benevolentiam contenta, novam Cœnobio & non minorem quotannis ipsam exhibuit; In hujusque gratiam Monasterio summoperè delectantis, Rex Johannes crebram & diuturnam subinde mansionem Vasteni delegerat. Cæterum ad reconciliationem Regis Johannis cum Ecclesia Catholica in gratiam redeuntis, modò tandem reversus, ex quorundam comperio relatione, talem ipsi pœnitentiam, ob procuratam Erico fratri mortem, à Possevino tum fuisse impositam, ut diem Mercurii, quo facinus est perpetratum, quoad viveret, jejonus fermè transigeret. Quod etiam jejunium deinceps observavit, sed utrum in aliis Legato similiter promissis perseveravit Rex Johannes, Deo examinandum relinquo.

Ita suo haœtenuis munere Legatus in Sueonia perfunctus parat discessum, quem Rex Johannes abituentem orat, ut reversus in urbem Ecclesiæ curam Suecanæ non abjiceret; verum apud Pontificem efficeret, ut Clero sui regni matrimonium, & Laicis Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie, aliaque similia aliquandiu permitterentur. Quibus in rebus suam promittens operam Possevinus, coram Rege simul conqueritur, dubio procul, quod Martinus Lincopensium Episcopus nuper pro concione Pontificem Maximum, non erubuisse vocare Antichristum. Unde non parum Rex Johannes commotus, Lincopiam proficisciatur, & Martinus crimen audacter confessus, in ordinem redigitur: Nam regio man-

dato, pompâ quadam scenicâ in basilicam deductus, ibi solenniter ornâtu Episcopali, officio & beneficio privabatur. Qui posteâ in clientelam admissus, Carolinam, parochus evasit Nycopensis.

Sed Legatus Regem comitatus Stegeburgum, & ibi sub discessum ab illo rogatus, ut Romæ quoque perficeret, quò Suecis illic domus Brigittinæ integra permitteretur possessio, & monumenta regni per Johannem Gothum illuc olim deportata, restituerentur; Qui in utroque suum pollicetur studium. Nec alienus ab horum fuisset restitutione deinceps Gregorius, dummodo prius insulanum Stocholmiae cœnobium Jesuitis impetrasset collegium. Stegeburgo autem Rex Johannes Stocholmiam, & Possevinus inde Dantiscum, velificarunt, relicto apud Reginam Stanislao Versevicio, item Jesuitâ.

Interea Polonus bello in Moschum restaurato, & nuncio in Sueciam allegato, Regem hortatur affinem, ut armis secum conjunctis hostem impugnaret communem. Godlicius autem (id nomen erat Legato) hinc reversus, significat Regem Johannem bellum quidem non abnuere societatem, sed statuere, ut disjunctis copiis, & diversis locis pro regnum commoditate, hosti itâ congrederentur, ut quod illi quisque decerperet, id cederet occupanti. Quam acceptans conditionem Rex Stephanus, mense Julio hosticum repetit, & per anni reliquum, senas Moscho eripit munitiones fortissimas, nempe Vielisium, Vielicolum, Toropeciam, Nevelam, Oserisciam & Savolociam. Pactis etiam Suecius responsurus, eodem tempore hostem diverso loco aggreditur; Atque grandi admodum exercitu sub Kexholmiam misso, ipsam aliquandiu impugnat, & tandem IV. Novembris deditam occupat, amplissimamque castro subjectam provinciam. Supremus verò harum duxor copiarum militarium fuit Pontus de la Gardie, Liber Baro ab Echolmen. Sed alia interim cohortes Suecicæ Padisum obsident, VI. milliaribus dissitum Revaliâ castrum, quo XXVIII. Decembribus expugnato, & hostium ibi quoslibet trucidarunt.

Quandò itaque foris pars Sueonum cum Ruthenis tali successu dimicavit, reliqui cum Danis colloquium domi frequentantes, invictis demonstrarunt rationibus, Sonnenburgum in Stetinensi transactione haudquam illis fuisse promissum, velut falso contenderent: Et rogati Sueones, controversiam trium Coronarum in aliud prorogarunt tempus decidendam.

Anno MDLXXXI. Pontus Sueonum Polemarcha victoriâ prosecuturus, hostesque in Livonia exinsperato nunc oppressurus, Kexholmia cum exercitu per invium festinat desertum, quod millaria continebat quinquaginta, & Finlandiam à Livonia disterminabat, insuetumque suis antehac clam emensus iter, XX. Februarii Vesenbergam obsidet, profligatâ prius cohorte sclopetariorum, ex vicinio in subsidium Vesenbergensibus accelerante. Obsessi nihilominus de munitionis propugnatione haud desperantes, vim vi repellunt, & Pontus Revaliâ commeatum, gravioremque belli naëtus apparatum, pyrobolis in lignea castri propugnacula libratis, ea concremat. Nec itâ territos videns adversarios, in ipso fulminat mœnia, & parte horum prostratâ, incursionem patrat. Tum hostis expavescens, spondet deditonem, & securum indè naëtus abitum, nostratisbus IV. Martii pandit munitionem; In qua præter insignem commeatus abundantiam, instructissimum consequuntur nostri armamentarium.

Verum pridiè deditonis, in Suecia Stocholmiae, conjunx apparitoris, quinos genuit infantes, qui secundum baptisma protinus mortui, distinctis loculis à Regina donatis in Ecclesia sepeliuntur insulana, una &

puerpera; quæ post octiduum sobolem tam numerosam in fata subsecuta fuit. Vesenberga porró motis sub Tolsborgum castris, quod tribus inde milliaribus distabat, illud Pontus VIII. Martij similiter deditum occupat, & Suetico firmat præsidio. Deinde verò hyemis lenitate & viarum incommoditate, optimam rei gerendæ, ac reliquæ Moscho Livoniae auferendæ occasionem Pontus negligere compulsa, exercitum per glaciem traducit in Finlandiam. Quando Polonus datis ad ipsum literis, tantam gratulatur victoriam, atque ad pergendum hortatur. Itaque reliquo in Finlandia exercitu Pontus in Sueciam profectus, initio æstatis cum grandioribus eò copiis revertitur. Ast Chrimenses Tartari nullis molestiis interim retardati, & simul à Polono Suecoque instigati, Resanensem Moschi Ducatum, tempore hujus hyemis in solitudinem prorsus redegerunt, & plus quam XL. incolarum millibus ibi partim maestatis, partim captivatis, Legatum ad fœderatos cum hujusmodi evangeliis transmiserunt.

Tantis & tot undique Moschus hostium armis, videlicet Suecorum, Polonorum, Tartarorum, simul impetus, & præterea Divinis, cuiusmodi est pestis contagio, laceffitus, non aliud restare sibi refugium considerat, quam ut missa Romam legatione Gregorii XIII. imploraret auxilium. Modò proinde orator viam ingressus, & postea in urbem progressus, obsecrat Principis nomine, ut suâ Pontifex interpositâ auctoritate, à Polono Principi suo pacem impetraret, & titulo, insignibusque imperatoriis magnum Russiæ Monarcham, à Romano dogmate suscipiendo non alienum, decoraret. Quibus ille Moschi precibus inclinatus, ipsum hujusmodi ornandum honoribus promittit, postquam Schismate repudiat, Ecclesiæ esset reconciliatus. Sed alteri statim satisfacturus petitionis articulo, misit Possevinum, cui mandavit ut in Sarmatiam profectus, religionis & transactionis negotio strenuam navaret operam, non solum inter Polonum & Moschum; sed etiam inter hunc pariter & Suecum, velut sedis Romanæ amicum, instituenda.

Atqui Serenissimus Rex Johannes Stocholmiæ XIV. Maji, nuptias sororis Elizabethæ, & Christopheri Megapolensium Principis, quâ fuerat conveniens solennitate, celebravit, hisque peractis, sororem & sororium ornatissimâ XV. navium classe Vismariam devehi curavit. Quando M. Abrahamus, in Alandia vel Finlandia in captivitate adhuc detenus, cognoscit arctiori se propediem custodiæ mancipatum iri, & propteræ cymbam concendens quantocyùs, profugit in Sudermanniam; Ubi perbenigno suscipitur hospitio. Hactenus etiàm M. Petrus Jonæ, quinquemestri Stocholmiæ detentus in custodia, cum frustrâ modò regni Senatoribus, & præsertim Domino Georgio Gere, pro sua liberazione supplicasset, indè fugâ similiter in Ducatum elapsus, humanissime ibi admittitur. Verùm quòd Rex graviter succenseret fratri, transfigis hujusmodi refugium præbenti, Abrahamus & Petrus, emendato ibi viatico, per Norvegiam itinere discriminibus pleno, in Germaniam secesserunt.

Cæterum Junio mense Oratores Tartarici Regem Stocholmiæ conveniunt, qui prolixo sermone suam de Moscho victoriam cùm commemorassent, cum stipendiis, donativisque suo Principi hinc propteræ missis, remearunt. Quando etiàm Rex Stephanus tertio accinctus bello in Moschum gerendo, Vilnâ sub Ostroviam, Russiæ arcem inutissimam, cum robustiori bellatorum agmine quam anteà procedit: Et castro potitus, vicinam aggreditur Plescoviam, quam per anni reliquum

quum obsederat curriculum. Nec Sueticus in absentia Polemarchæ fuit exercitus otiosus: Siquidem una hujus pars sibi Huitensteinum suscepit impugnandum; altera Parnaviam; & cum tertia Carolus Henricius in Vichiam profectus, XXII. Julii capit Lodiam à Ruthenis deditam. Inde Moschi præsidium in Fichel timore perculsum, flammis castro subditis, sibi fugâ consultit. Sueci verò accedentes, incendio extinto, arcem confestim suscipiunt denuò muniendam. Postea sub Lealiam victores pergunt, quam hostis flammâ nimium grassante per nos traxit compulsa, XXVII. Julii dedidit. Tandem Sueci Habensibus congressi, munitionem Vichiæ primariam illis extorserunt, IX. Augusti occupatam.

Interea temporis Pontus longè majori comparato in Suecia exercitu, cum ipso dum Habsalia expugnaretur, appulit Revaliam. Ibi que haud diu moratus, cum navalibus & terrestribus copiis Narviam festinus contendit. Quam terrâ & mari arctissimè IV. Septembris obfessam, per biduum XXIV. tormentis noctu diuque sine ulla diverberat intermissione. Ita mœnibus aliquantulum stratis; ut milites ad invadendum per ruinas civitatem faceret promptiores, illis tantum concedit prædarum, quantum urbe captâ XXIV. horis quilibet posset sibi acquirere. Hinc igitur summoperè animati, certatim & turmatim ad moenia decurrendo, per medios hostium cuneos civitatem invadunt; & VII. millibus Ruthenorum trucidatis, ad prædam alacres discurrunt.

Pontus autem Narviâ potitus Livonicâ, VI. Septembris in Ruthenicam, ex diametro trans fluvium oppositam, arma convertit: Quām non difficulter etiā obtinuit, à præsidiariis nupero commilitonum in fortunio examinatis XVII. Septembris deditam. Deinde motis sub Jamagerodium & Coporiā prorinus castris, illud XXVIII. Septembris; & hanc X. Octobris Sueticæ subdidit Coronæ. Porro utramque Narviam Carolo Henrico tuendam & defendendam; sed Jamagerodium & Coporiā illius commisit fratribus, cum provinciis hoc spectantibus amplissimis, fertilissimisque. Ipsemet verò Pontus cum exercitu reliquo inde Huitensteinum digressus, suo tantoperè terruit adventu obfessos, ut arcem, civitatemq̄e naturâ & arte munitissimas, XXIV. Novembris dedere non diutiū tergiversarentur.

Nec tot tantisque victoriis Sueones contenti, hosticum repetunt, & usque Novogardiam excurrunt. Ac demū Pontus inde Revaliam cum illis reversus, Ecclesiam S. Nicolai supplex ingreditur, & Deo pro tantis hujus anni trophæis, solennes & singulares gratiarum actiones, cantato in fine concionis Eucharisticae doxologio, persolvendas curat. Sacris autem finitis ad arma iterum conversus, Suecis Parnoviam impugnantibus auxiliares submittit copias. Ast Ponti licentiâ militum reliqui, Officialiumque primarii cum gregariis domum hilares in Sueciam reversi, naves condescendunt, hisque tempestate obrutis, in ipso Revalienium portu submerguntur.

Melior erat Ponti fortuna remanentis, qui adversarium in Regiâ modo habens Jacobum Typotium, Johanni à Secretis, nē in paratas ab illo infidias rueret maxime cavendum censuit, & potius inimicum quantocūs evertendum; Itaque à Ponto Typotius plurimarum convictus imposturarum & calumniarum, carceri perpetuo adjudicatur, mancipaturque.

Verū Polonus adversarium sibi Suecum proclamans, quod tōt Livoniæ ditiones ac munitiones occupasset, cum indignatione afflēverat

rat, se contra Moschum belligerare, plurima indies pericula exantlare; Suecum affinem vero indè promanantia reportare commoda, victoriam scilicet, & gloriam, Polonis hostem communem alibi distincentibus. Verum non vicissim considerat quod nostri Polonis idem præstitissent jure fœderis beneficium. Ob hanc igitur causam lubens consensit Rex Stephanus pacis transactioni cum Moscho habendæ, de illâ nomine Pontificis compellatus à Possevino. Simul nihilominus tamen suis mandavit Commissariis, ut Rex Sueciæ affinis, si commode fieri posset, Moscho una reconciliaretur. Sed frustrâ illi & Possevinus Suetico dant operam negotio, quod Rutheni non tale quid sibi à Duce commissum obtenderent.

Anno MDLXXXII. Tantæ fama victoriæ de Moscho pernicibus Europam alis pervagata, non modicum honoris & amoris Regi Johanni passim conciliavit, eademque vir nobilis genere ac ingenio, Ericus Falchius in Austria commorans excitus, oratione panegyricâ, Viennæ XIII. Januarii impressâ, tantos victorioso Regi patriæ triumphos disertissime gratulatur. Fuit præfatus autem Orator Evangelici quondam in Ostrogothia & Vestrogothia Episcopi filius, qui spretâ tamen parentis disciplinâ doctrinâque, fidem amplexus Catholicam, ad sanctum Domini sepulchrum votivâ suscepit peregrinatione, ibique cingulo dato equestri, evaserat jam clarus. Atque illum Rex Johannes postmodum reducem, ob plurimas animi corporisque dotes, & potissimum variarum cognitionem linguarum, magni aestimavit, ad diversosque mundi Principes in magni momenti negotiis saepius ablegavit; quos inter Turca & Tartarus fuerunt. Sed mortuo Rege Johanne patriam exilio commutans, præcipuis orbis Christiani Monarchis suam ita industriam passim probavit, ut annua percipiebat stipendia à Pontifice Romano, Cæsare Christiaño, Polono & Hispano. In hujusque tandem aula diutiùs vixit, ac mundo valedixit.

Hujus principio anni pax inter Polonos & Ruthenos, Possevino in primis sequestro, apud Zopolsciam Russiæ XV. Januarii fuit decennalis constituta, his quidem legibus, ut Moschus Livonia, cum XXXIV. in ea oppidis & arcibus, in ipsaque Russia Lithuaniae finitima & quondam subdita XI. cederet Polono: Ast reliquas Russus ab hostibus occupatas & sibi olim proprias reciperet. Hanc verò Rex Stephanus cum hoste communi transactionem, inconsulto & penitus excluso contra pactorum vigorem socio belli Rege Johanne, minus honestè concluserat; Propterea que Sueones illam non immerito suggillarunt. Nihilominus illius compulsi vigore Parnaviensem solverunt obsidionem, per semestre temporis spacium frusta continuatam, non ignorantे sanè Polonum nuperā offensum Regis Johannis victoriâ, tantum ipsi, vel potius sibimet, despctum exhibuisse.

Quibus, aliisque de causis Suecus cum Ordinibus actutum Stocholmiae convocatis tempestivam suscepit deliberationem, quomodo scilicet hujusmodi Polonorū & Ruthenorum esset occurrentum machinationibus? Non spernendum verò consilium & auxilium in his naestus, porrò à Sueonibus flagitat ut filium sibi nominarent confirmarentque in throno successorem. Et hujus voti compos XVIII. Februarii die redditus, ad Ecclesiastica convertitur negotia: Quibus proinde Clerum magis effecturus morigerum, ipsi XXIV. Februarii primū sub grandiori Sueciæ sigillo insignem anni MDLVI. constitutionem, super sportulis pro humatione funerum levandis denuò roboravit. Atque isto presbyterium beneficio delinitum, novam inchoat Liturgiæ ac Ordinantiæ ventilationem: Et de-

demum utramque tam Ecclesiastici quam Politi, nobiles & ignobiles, ita firmiter approbant, ut quicunque hujusmodi certissimis fidei veræ Normis, cujuscunque is esset in Sueciæ regno conditionis, imposterum rebellaret, velut læsæ reus Majestatis Divinæ ac humanæ foret plectendus.

Atqui cum publicus esset Liturgiæ adversarius Sudermannia Princeps Carolus, cum Clero sui Ducatus & Procerum nonnullis, videlicet M. uritio & Axilio, Comitibus, Mauritio Grip, Christierno & Benedicto Oxensterniis, Baronibus, ac Stenone Banerio, illi omnem quoad religiosi negotia Ordines congregati potestatem censuerunt abrogandam, & sequaces obsequii admonendos: Sicut etiam Duci prohibendum, ne solitum posthac præberet fugitivis refugium, prout non ita pridem fecisset M. Abrahamo, M. Petro Jonæ, & Jespero Marci, Vastenensium concionatori; quem Mariæstadii Parochum constituisset. Hic autem unus profugorum famosus ex saxe desumptos, ut fertur Viridarii Jemptici rythmos in cantionem subtiliter concinnatos, & famæ regiæ propter sacerdotum quorundam Liturgiæ adversantium proscriptionem, accommodatos suggillationi, publicavit, Regem Johannem propterea sui odio vehementius inflammavit. Cæterum Clerus, teste M. Abrahamo, in epilogo hujus decreti, confitetur se denuò Liturgiæ Ceremonias approbasse, quod sufficientius modò declaratae essent, idque in Dei gratiam & Evangelii propagationem. Conducere igitur illi Christianæ fidei confirmationi, & esse tam Clero quam populo necessarias. Hinc se spondere liberas hujusmodi traditio-nes, quæ olim in pura Ecclesia sine abusu viguissent, retenturum; licet haec tenus aliquandiu Sueciâ propter metum superstitionis exulassent; Atque ita Deo, Regiæ Majestati, Senatuique amplissimo, quibus eas placere intelligunt, se libenter gratificari.

Idem præterea M. Abrahamus in suo contra Liturgiam libello, juris cuiusdam modò similiter conditi pro decidendis in Suecia causis Ecclesiasticis meminit, hujusmodi exordium illi attribuens: *Fundamento Catholicæ fidei, quam docet ac prædicat sacrosancta Ecclesia Romana, semper inhærendo Regia Majestas & judices tam Seculares quam Ecclesiastici, in regno Sueciæ Gothiæque ad reddendum jus seu justitiam electi, secundum leges & consuetudines infrascriptas, diriment causas & questiones.* Ideoque has reor constitutiones ex jure depromptas Canonico Pontificum, Antonium Possevinum ante suam hinc profectionem compegit, ac Sueonibus velut decretales reliquisse.

Verum post suam ex Suecia migrationem, & pacis inter Polonus ac Ruthenos compositionem, Pontificiam transmisit idem Possevinius Regi Johanni bullam, quâ novi susceptio Calendarii Gregoriani Suecis commendaretur. Cui Pontificis voluntati Rex Johannes non reluctatus, permisit ut in Ecclesiis & scholis passim de illo auditores informarentur, & ut eundem susciperent, admonerentur.

Consummatâ verò, obsignatâ & ratificatâ inter Polonus ac Ruthenos pacificatione, Moschus suam in Livonia partem Stephano protinus assignavit. Hicque simul Estoniae affectans dominium, in Martio Rigâ missò in Sueciam cum literis nuncio, non erubuit à Rege Johanne Narviam, Vesenbergam, Tolsborgum, Huitensteinum, Lodium, Lealiam atque Habsaliam, immò & Revaliam flagitare, Poloniæ tanquam legitimæ illarum ditionum & munitionum dominæ restituenda. Suecus itaque ob inverecundam Poloni & quidem affinis, confederati que petitionem in primis attonito similis hærens, & demum se recollis-

gens per Dominicum Alemannum, natione Italum, hinc Regi Stephano transmissum, æquis demonstrat rationibus, Polonus nihil prorsus juris in Estoniam habere. His tamen ille Princeps dominiorum cupidissimus non sibi ratus satisfactum, in Majo novâ legatione, quâ Christopherus Varsevicius fungebatur, eandem repetit postulationem. Qui prolixè differuit totam Livoniam jure meritissimo ad Poloniam, vel potius Lithuania, spectare. Polonus quidem pugnasce, Suecos vero interim arces oppidaque nuper occupasse. Unam fœderis conditionem permittere, ut quod Moscho quisque adimeret, id retineret; sed ita intelligendam, quod esset proprium inimicorum, non sociorum, cuiusmodi foret omnis Livonia, Polonica, non Suetica aut Moschovitica jurisdictionis. Nihilominus tamen amicitiae inter regna conservandæ gratiâ, paratum Regem suum impensas Suetiæ in expugnandis & conservandis oppidis arcibusque illis factas refundere, dummodo sponte Sueones ipsis se abdicarent: alias vim illis illatum iri, & armis provinciam Lithuaniae propriam repetendam.

Hæc cum Varsavitius perorasset, Rex Johannes indignabundus Legatum cum responso hujusmodi VII. Julii remisit quod Lodia, Lealia & Habsalia Daniæ non Polonici essent juris; non inique tamen à Suetis occupatas, quod hostes iis expugnatis ipsos inde infestasset: Præterea quod Suetiæ Reges fortius quam Poloniæ Livoniam propugnassent. Propterea se mirari affinem satis alias prudentem, Marte aperto expugnata repetere oppida; & quod fœderis legem adeò imprudenter & impudenter eludere non erubesceret. Ageret potius gratias fœderato pro auxiliis nupero contra hostem bello & sub Venda prius fideliter Poloniæ latis; machinas sub Venda hostibus eruptas quoad partem Suetiæ debitam traderet; mitteret dotem, mitteret pecuniam cum fœnore regno mutuatam Poloniæ; Memor denique foret, inclytam Gothorum gentem Suetiæ progressam toti fermè dominatam Europæ, quondam Asiaeque, & tantum adhuc modernis illorum in Suetia posteris animi viriumque restare, ut nec Moschorum nec Polonorum frameas ulla tenus reformidarent.

Post Legati vero abitum bello in Moschum restaurato, Noteborum Septembri mense validissimis bellatorum agminibus obsideri justit, re tamen infectâ id contigit. Etenim quod castrum inter rapidissimos esset fluvios situm, & cymbis duntaxat invasuro pateret militi accessus perquam periculosus, Sueti stratis fulminatione mœnibus, ternas cum fecissent incursions, nihil proficiunt: Quocirca de castris expugnatione omnino diffidentes, inde discedunt. Atque cognoscentes Moschum contra rebelles Casaniæ & Alfracaniæ Tartaros; sicut etiam Chrimenses ac Procopenses sua regna vastantes, cum toto profectum exercitu, & occidua Russiæ ditiones propemodum inermes relietas esse, motis Noteburgo castris, per anni reliquum in hostico grastantur, & tutò passim diversantur.

Interea porrò Stephanus intelligens non satis benignum Regis Johannis responsum, Ordines Varsaviæ congregatos propterea mense Octobri consulit de bello Suetiæ inferendo, & Narviâ cum aliis Livoniæ arcibus oppidisque repetendâ. Sed illis proposito reclamantibus, animum mutavit, alia Estoniae adminicula subjugandæ investigaturus.

David Chyträus eo tempore Rostochii solicitus, quod inaudiret suam Augustanæ Confessionis Historiam, & Respcionem Possevino Mylonioque datam, Johanni Regi minus placere, super hoc pridiè Calend. Novembris querulosas Erico Mathiæ Secretario literas perscripsit;

pñit; Et ut pristinam recuperaret gratiam, Chronic postea se accingit Suetici, postulatis & impetratis hinc documentis, Elucubrationi futuræ.

Anno MDLXXXIII. ineunte, vel priori exeunte, Moschus ex Tartaria viator domum reversus, Sveticam quoque in se insolentiam statuit compescere, oppidaque sua recuperare. Ut autem hostes oppri-meret imparatos, simulat religionis ergo se Blavenbergam propter filii necem ibi expiandam, cum parato abiturum exercitu. Sed suas Sue-cis ad arma simul convolantibus proditas esse molitiones subintellexit, ideo non audens illos palam aggredi, suis consultius rebus existimavit, amicæ controversiam submittere transactioni. Atque tabellario Revali-am cum literis misslo amicissimis, limitaneum cum Sueonibus flagitat colloquium, quod nostratum consensu Calendis Majis fuit inchoatum. Circa quod tempus, vel paulò prius, Ludovicus Elector Palatinus conjugæ mortuâ priore, filiam expertivit Ezardi & Catharinæ, Frisoni-bus dominantium, nomine Annam, Gustavi Regis neptem, XVI duntaxat annis natam. Qui repulsam non passus, Principem Sudermannia Carolum velut generum sibi percharum & patruum sponsæ, ad nuptia-rum solennia Heidelbergam honorifice invitavit. Nec Sudermannus ter-giversatus, uxore secum acceptâ, Heidelbergam non modicâ instructus pompâ festinavit, ubi XVII Martii filium ipsi genuit Maria Ludovicum.

Verum postridiè in castro Curlandiæ Piltensi, Magnus Holsatiæ Dux fortunæ haec tenus & Mosci ludibria expertus, finem vitæ imposuit. Mox verò gravis suborta est contentio inter Danum & Polonum de Cu-ronensis Episcopæ dominio, & quod uterque regum illud contumaciter sibi ar-rogaret, ad cruentissimum discordia bellum processisset, nisi Albertus Borussiæ Dux à partibus arbiter delectus illam composuisset, Diœcesi Polonis adjudicatâ.

Commissarii porrò Suecorum & Ruthenorum condicto tempore jux-ta Pliusmundam comparentes, primis aliquot diebus de suorum emi-nentia Dominorum corrixantur, illis in tentoria horum accedere, & his vicissim in illorum procedere ad tractationis negotium designantibus. Tandem verò ita concordati, ut ornatissimæ inter partis utriusque ten-toria collocatae accumberent simul mensæ: Ibiique pacis quidem actio fuit inchoata, speratum tamen non obtinet finem, quod Rutheni plus æquo postularent, & Sueones illud merito proinde recusarent. Propte-reà bimestres solum inducæ, scilicet à IX Maji usque IX Julii diem utrinque fuerunt constitutæ, & interim firmioribus, prolixioribusque Com-missarii ornati utrinque instructionibus, constituto imminentे conventus die ibidem comparerent.

Ceterum Dux Carolus filio, quo haec tenus plurimum fuerat gavisus, ipso XXVI Maji fuit orbatus, in castrensi Ecclesia Heidelbergæ tumu-lato. Domi autem Regi Johanni tanta fratri illuc mora, quædam de ipso minus dextera suspicandi præbuit occasionem. Nec parum in ea confirmatur suspicione, quod simul intelligeret Regem Navarræ Calvi-nianum pacto cum Angla & Dano nuper fædere, per suum ad Ludovi-cum Rheni Palatinum & alios Germaniæ Principes Lutheranos Calvi-nianosque Legatum passim magnopere suadere, ut secum, & cum Eli-zabetha, Fridericoque consiliis & auxiliis conjunctis, Catholicorum in Italia, Hispania, Gallia, Germania, & præsertim Belgio, Helvetia, etiam fortassis Suecia, violentiam potentiamque frenarent; Atque Eber-hardum Truchfesum, Coloniensi exutum Archiepiscopatu ac Electoratu, quod Evangelicam esset religionem amplexus, adjuvarent. Suecus itaque

primum mentem exploraturus Anglæ, in hujusmodi Comitem Ericum Brahe & Nicolaum Rascum negotiis hac miserat æstate in Britanniam. Verum sororius Comitis Ericus Sparrius à Jacobo Scotorum Monarcha Calendis Martiis titulo Baronis fuit decoratus. Rex Johannes porrò rebus etiā suis in Sondia invigilat, & præsertim ut Moscho reconciliatus, nec internos nec externos magnoperè hostes perhorresceret.

Sueciæ præterea Clerum ut offensum sibi in omnem occasionem non haberet, vacantibus haec tenus Upfalensi & Abogeni cathedralis, Evangelicos, neglectis quos antè destinaverat Catholicis, providit Episcopos, illam conferens M. Andreæ Laurentio Vexionensem Antistiti, & hanc M. Erico Gevaliensis Scholæ præfidi. Utrique autem candidato fuerat Rex ideò non parum addictus, quod singulares essent Liturgiæ fautores promotoresque, & ille quidem præcipue, qui dum parochus existeret Gevaliensis, in quadam Stocholmiæ Synodo primus fertur more Liturgico Sacris ibi operatus esse. Secunda etiam fuit causa Regiæ in illum propensionis, quod parente natus esset Laurentio Olavio, qui potissimum navasset Gustavo Regi operam in liberando Sueciæ regno à Danorum tyrannide, cæde Procerum vindicata, & regni throno Gustavianæ procurato familiæ velut reliquis illustriori; Qua insuper de causa Nobilitatis etiā insignia Rex Johannes deinceps Archiepiscopo contulit. Suo deinde voto Rex super Academia Stocholmiæ, non Upsaliæ amplius, instituenda satisfacturus, celeberrimum ibi Gymnasium, omnium penè facultatum liberalium apparavit, & proventibus ornavit necessarii.

Atqui cum Rex Johannes prius Catholicæ Archiepiscopam, & Cœnobium Stocholmiæ insulanum Jesvitico destinasset collegio, conjecturor illum fortassis Pontifici Romano & Legato hujus Possevino nunc suboffensum fuisse, idque procul dubio præterea, quod in transactione Polonum & Moschum inter, Gregorio potissimum sequestro constitutâ fuisset neglectus. Possevinus Romæ nihilominus modò causam Regis fideliter agit, postulantis ut Presbyterio connubium, & Laicorum ordini communicatio sub utrâque Sacramenti Eucharistici specie, licentiâ Pontificis permitteretur. Sicut etiā pluribus Catholicam in Suecia vineam indigere operariis non ignorans, Jesvitis huc aliquot directis mandat ut Regi Johanni significant, quod licet Gregorius Pontifex postulatis magnoperè adversaretur, se tamen hinc difficultatis nodum eo denique successu quo priores reliqui confidere dissolvendum: Atque hinc majoris confidentiæ hujus se sumere argumentum, quod summus esset Pontifex tantoperè Nationi Sueonum in præsens propensus, ut non Regi solum, ast etiā incolis civitatum primariis quibusdam Catholicæ studiosis fidei Apostolicam per literas nunciet salutem. Præterea Jesvitis consuluit Antonius Possevinus, ut Sueciam ingressi se pro nunciis vel Regiis venditent Musicis, & habitu induiti Politico claram vel noctu horas recitarent canonicas, ne alioquin proderentur. Horum comes fuit Johannes Josuila Vastenensi destinatus Cœnobio, & quidam Gabriel Suecus, Poëta non contemnendus, prout Reginæ Catharinae testatur Epitaphium ab ipso compostum. Qui deinceps ad studia regressus continuanda, curriculo ipsorum absoluto, parochiam in Austria consequitur opulentam.

Ab istis porrò & prioribus in Suecia Jesvitis prudentissimi Regis uxori, lethali detenta morbo, nunc persvasa, X. millia thalerorum Seminario legalit Brunsbergensi, pro quibus fundos tot in Prussia emerunt Professores, ut DCCGC. inde florenos quotannis perciperent, & his non paucos ex Suecia studiosos artium liberalium adolescentes alerent; Quorum etiā numer-

numero me sexennium convixisse non inficior, & Serenissimo Regi ac Reginæ Clementissimæ istam propterea, lector, gratiam, quam potui & debui prò sustentationis beneficio, hâc me historiâ exhibuisse confiteor, citra ullam tamen veritatis injuriam.

Interea temporis in nuptiis Heidelbergæ quas paravit II. Julii, Ludovicus in morbum incidit, lentum quidem, sed lethalem, quo post trimestre anni spacium fuit extictus, & simul præfatæ confederationis effectus. Mox vero secundum nuptias, Dux Carolus ægro valedicens socero, cum uxore Sueciam versus properat; Quando etiam profectus Segebergam, ibi cum Friderico Danorum Rege, ac hujus socero Ulrico Megapolensium Principe, diebus aliquot conversatur. Atqui cùm uterque hostis esset Regis Johannis occultus, varii de hoc colloquio fuerant instituti postea sermones, hosque statim Princeps subaudiens, contempfit, & Segebergâ Rostochium progressus, cum fororio ibi Christophero, Adolfoque Holstiaæ domino, secundos dūm expectaret ventos, colloquitur, indeque XVII. Augosti solvens, incolumis Nycopiam Sudermanniae deinceps appellit.

Verum dies interim illuxit Suecorum & Ruthenorum assignata colloquio, proptereaque iidem gentis utriusque Commissarii denuò congressi, post solitam de Principum suorum eminentia contentionem, modo quo prius in ea convenerunt; Præterquam quod nostri priores semper mensæ assederunt, & huc Ruthenis accendentibus, actionem XXXI. Julii inchoarunt.

Illa verò post sextum altercationis diem his fuit conclusa legibus, quod sub biennialibus inter Suecos & Ruthenos induciis, modò fancitis, consuetam gens utraque negotiationem exerceret; Rex Johannes arces, oppida & ditiones bello nuper hostibus erepta, teneret; Et captivorum quilibet, soluto lytro, pristinâ libertate gauderet. Nec Moschus his induciarum subscriptisset conditionibus, nisi formidabilem, quem Suecus Revalliaæ, Narviaeque bello accinctum haberet exercitum, vehementer admidum timuisset.

Numeratum porrò stipendia militi cum plurimo in Livoniam auro argentoque signatis, nunc destinatus fuisse perhibetur Andreas Lorichius, & eum tanto profugisse thesauro in Germaniam, ut inde hostes Sueciæ ditaret & armaret. Cæterum tantillis Suecia induciis magnoperè gavisa, diuturno belli onere aliquandiu deposito, cum magna interim voluptate utilitateque respirare cœpit.

Velitatio tamen seu præliatio continuatur Ecclesiastica, quam osor quidam Liturgiæ modò vehementius accedit, novum libellis famosis electum Archiepiscopum, quod Catholicorum se non opponeret molitionibus, graviter lacerando. Attamen responso adversarium non dignatus Andreas, VIII. Septembris suscepit inaugurationem, & mox similiter M. Ericum, Finlandiæ Candidatum, ordinavit. Deinde ut prorsus tacendo non videatur aliquantulum imposturis assentire, suam de Liturgia & ordinantiâ contexuit confessionem, quam posteâ nactus M. Abrahamus, ipsam non mitius, quam à priore illo factum, exagitavit.

Verum consors Regis Catharina, gravissimis diu articulorum morbis conflicta, & iis tandem principio autumni superata, vocatos hortatur liberos, Sigismundum & Annam, ut constantes in Catholica perseverarent religione, acceptoque ab iis hac super re juramento, præsentem simul maritum intermortuis obsecrat verbis, ne aliam illis fidem obtrudi pateretur; & promissi compos facta, in Christo placidissime, religiosissimeque XVI. Septembris obdormivit, in suo Stocholmiæ conclavi agonizans,

ubi prope pavimentum crux parieti venustè inserta, etiam hodie conspicitur.

Anno MDLXXXIV. Confluit præcipuus regni Clerus Stockholmiae, ad Reginæ vocatus exequias; Hisque XV. Januarii inchoatis, ex acropoli producitur funus pompâ omnino Regali, & quidem tali, quali Principes Catholicæ in exteris solum hodie utuntur, ac Sueticis Regibus, Ducibus & Præsulibus, superiori fuit seculo usitata. Enimvero finitis in castro ceremoniis, per sacerdotes Catholicos exhibitis, loculum feretro impositum ornatissimo, potissimi Sueonum Proceres induiti habitu lugubri, per civitatem efferunt. Quos innumera propemodum paria Pastorum, stolis vestitorum candidis, & ardentes manibus cereos præferentium, cantusque funebres cum prævio Scholarium agmine modulantum, præcesserant. Verùm pone mœstissimus defunctæ maritus, cum liberis Principibus Sigismundo & Anna, prægrandique Heroum & Heroinarum Ordine gradiebatur. Quem infinita hominum multitudo spectabat processum, quibuslibet in oppido campanis jucundè resonantibus, & tormentis de castro simul explosis, horrendū reboantibus. Quando totius etiam regni campanæ in quavis pulsabantur Ecclesia, quæ hactenus à Reginæ obitu, quotidiè horis aliquot non quievissent. Ità verò loculus in suburbium perlatus boreale, carpento Upsaliam versus milliaribus VII. deportabatur.

Quo Rex Johannes itinere prolixum habuisse dicitur cum Petro Comite, suo amitino, colloquium de purgatorio, ut vocant, igne. Hunc animas hominum piorum à residuis leviorum sordibus criminum mundare contendens. Ac licet vario Regis argumento, hujusmodi balneum demonstrare admittens, Braheus non imprudenter occurreret; Tandem adversario tamen cedit, autoritate simul pugnanti. Fuit hic Heros Comes Petrus Braheus factus à Rege Johanne Archidapifer regni. Atqui deinceps non tantum hujus officii sed etiam insignioris prudentiæ ergò, Rex Johannes toto regiminis sui tempore, consiliis illius præ aliorum Senatorum singulariter utebatur & acquiescebat vel maxime; Ità ut etiam nunc Suecia felicitatem suam & florentem illum statum, quo sub Rege Johanne gavisa fuit, Comitis hujus beneficio, majori de parte acceptum referat.

Ubi porrò ventum est Upsaliam, pompâ funus priori, Magnatum humeris in Basilicam solennissimè defertur, ibique mox tumulo infertur alabastrino; quem in veteri Ecclesiæ Sacrario, tanquam loco magis augusto, Rex Johannes fieri non paucis curavisset impensis. Habuit funebrem concessionem Archiepiscopus, quâ paulò copiosius in laudes excurrit Catharinæ, atque inter cætera, velut M. Abrahamus testatur, ità fatus est: *Regina hac inter ceteras dotes, avitam quoque Jagelloniorum & aliorum Regum Christianorum religionem Catholicam, sine qua nemo salvis esse potest, constantissime semper retinuit.* De quo sibi Catholicæ non parùm gratulantes testimonio, facto ad Oratorem de cathedrâ descendente concursu, amplissimas ipsi gratias agunt. Sed cum Evangelici vocis hujus ac si temerariæ illum econtra acerbè compellarent, utrisque aliud non respondet quam: *Faciendum esse quod Reges imperent.*

Viguit Catholicorum in Suecia triumphus parvo deinceps tempore; Näm unà cum Regina, tanquam potissima illorum Patrona, consuetus eorundem successus fuit tumulo fermè humatus, quemadmodum ex Historiæ liquet progressu. Illi secundum exequias ad suas revertuntur

porrò artes, & Latinum Liturgiæ tèxtum sine Suetico & scholiis in forma minori typis modò committunt, teste Abrahamo, ut presbyterium aliquandiu huic assvefactum, integrum tandem Romanum susciperet Canonem usurpandum; Atqui fortunâ mutare vultum incipiente, opus deserunt imperfectum. Celebrata fuit nihilominus postea ut prius summis anni festivitatibus in primariis paßim regni Ecclesiis Missa Latina ex veteri Liturgiæ libro. Quod ipsum de Symbolo etiàm Apostolico & Niceno contigit, in quibus Suetice pridem translatis, pro Ecclesia Christiana fuerat modò vox illa Catholica postliminiò restituta. Displacuit igitur hujusmodi parentatio insolita & Catholica, ut & Missæ usurpatio Latinæ, & Symboli hæc commutatio Duci Carolo, & aliis non parùm misoliturgis.

Cæterùm mox pòst suum exitum sortitur ille crudelissimus Ruthenorum tyrannus, Johannes Basilius. Qui cùm XXVI. Martii, animam summo astantium horrore miserrimam exhalasset, exanime à Diabolis corpus simul cum illa protinus sublatum perhibetur. Filios autem binos reliquit superstites, Theodorum Fiedronem XXII. natum annos, & Demetrium minorenem, ideoque Bielsii cujusdam tutelæ commendatum à parente morituro. Ille verò velut senior Patri succedit in imperio. Qui cùm regimini minus videretur idoneus, Theodoro Bielsius insidiatur, ut ipso primum vitâ privato, & altero deinceps fratre, suo licet cliente, cum reliqua Ducum prosapia veterum pariter sublato, Russiæ invaderet dominium, & istud sibimet ac suis contribulibus traderet perpetuò usurpandum. Sed molitus actutum fuit detecta, & Bielsius in exilium proptereà missus. Theodorus autem tanto perfunctus discrimine, novis non impetratur non insidiis. Etenim unus Procerum Boritius Godonovius homo callidissimus, & dominii etiàm cupidissimus, sub Principe ad regimen minus apto, quælibet reipublicæ negotia solus administrans, eodem quo Bielsius cœpit paulatim ardere desiderio.

Nec Polonia hoc tempore domesticis caruit seditionibus, siquidem quòd unus Sporoviorum ob insidias vitæ Regis Stephani, & Cancellarii structas, homicidiumque alias commissum, supplicio esset affetus, agnati & cognati permagnæ illic potentiae, novis studentes rebus, commoverunt tumultus. Quocircà Rex Stephanus sibi consulturus, & Moschum devincturus, in Russiam decernit Legationem, quâ Leo Sapiha perfungeretur, qui obitum in via cognoscit Johannis Basili, & intestinum Russiæ tumultum; At nihilominus ad Moschoviensem progressus civitatem, Theodoro persvasit, ut missis vicissim in Poloniā Legatis, pacis oraret continuationem. Cum his Sapiha verò simul Regi perscribit Russiæ turbas post mortem Tyranni, manifestatque jam tempus Polonis & Lithuanis diu exoptatum advenisse, non Smolenciæ solum recuperandæ, sed totius etiam Russiæ armis subjugandæ; Atque proptereà negotio pacis excluso bellum Rex pararet, sibi & genti Polonicæ Lithuaniaeque oppido glriosum ac fructuosum. Hinc Stephanus non difficulter persvasus, cum Oratoribus, quòd Livoniæ titulo Theodorus in literis uteatur, cœpit expostulare, & simul Smolenciæ resignationem flagitare, causasque belli captare, Legatis cum non alio remissis domum responsu, sed arma in Ruthenos expediri certis.

Suetico interea dominio Fridericum Danum & Theodorum Ruthenum insidiatos fuisse quidam referunt; Illud tamen sibimet procurare non machinabantur, sed Gustavo Regis Erici filio, ille velut cognato, hic quòd pater singularis Tyranni amicus fuisset. Quocirca intelligens

Rex

Rex Johannes adversarios in hoc negotio uti potissimum Andreæ Lorichii operâ, modò in Prussia commorantis, Nicolao Rascio in Poloniam legato mandavit, ut in reditu omnem adhiberet industriam proditori captivando, præmium tali conveniens facinori percepturus. Hinc Rascius vir admodum industrius non parum accensus, cum ex Polonia Dantiscum rediisset, cognoscit Lorichium in suburbio, Scotlandia vocato, quod asyli prærogativâ esset ornatum, diversari. Et proinde sceleratum ibi prohibitus capere, prodeunti quadam vice struit insidias, captumque inter urbem & prourbium, ad navim ocissimè devehit, in ostio Vistulæ paratam molitioni.

Actutum velis igitur pansis, Sueciæ proram obvertit, & Stocholmiam perlatus, captivum judicio præsentat, in quo propriis convictus literis, horrendo mactatur supplicio; Verum Nicolaus inter patritios relatus, fundis amplissimis donatur. Ita quievit aliquandiu ista conspiratio, hujusque socium fuisse Pontificem quoque Romanum nonnulli sentiunt, Gustavo integrum fidei Catholicæ dogma confitenti magis forsitan addictum, quam Regi Johanni, doctrinam schismaticis affinem profitenti.

Fridericus porrò Danorum Rex, legitimo filium modo sibi cupiens mortuo subrogari, illum nominat in throno successorem consensu Ordinum unanimi. Nam Christianus septennis, XV. Junii die Viborgi à Juthis, XXVI. Ottoniæ à Fionensibus, VIII. Julii à Sielandis, & XX. à Sconis, Hallandis ac Blechingis, Rex ingenti fuit solennitate salutatus, confirmatusque. Hinc Sueciæ Senatores, author est Jacobus Typotius, commodam nactos fuisse occasionem Annæ Regis filiæ, XVI. annorum viragini, modò per svadendi, ut desertâ fide Catholicâ, Evangelicam complectetur; quod ita non dubia spes affulgeret, ipsam ab electo Danorum vel Scotorum Regibus progressu temporis sociam tori diligendam; alias religionis ergo contemnendam ab ipsis vel cæteris in Europa Principibus Evangelicis, qui religionem quam haec tenus professa fuit Catholicam averfarentur. Hinc illa in monitoribus protinus obtemperans, & maternæ immemor admonitionis, Augustanam suscipit Confessionem; Voto tamen frustrata suo, nec Danum, nec alium accepit deinceps maritum. Senatores vero & suasores eadem mox fiduciâ Principem Sigismundum aggressi, alio tamē argumento: illi subverendum commonistrando, quod nisi tempestivè Catholicam repudiaret doctrinam, destinato successionis jure nequaquam esset gavilurus. Sed paucis Consiliarios verbis expediens, respondit: *Non tanti se terrenum facere imperium, ut cum isto cœlesti vellet commutare.* Nec aliud responsum ab illo postmodum nacti, saepius licet religionis ergo mutandæ compellatus fuisse. Interea nihilominus tamen parenti subinde gratificans, & populi favorem captans, ad Sacra patrem Johannem comitabatur Lutherana, in iisque donec finirentur aliquoties permanit, nullâ tamen religionis suæ vacillatione.

Sed isto præterea currente anno, Sueticus in Estonia Superintendens, nomine Christianus Agricola, & Gothicus in Suecia M. Petrus Caroli Lincopensium Anristes, gener Archiepiscopi, in fata concesserunt ultima: Huicque Petrus Benedicti de cathedra translatus Arosiensi fuit substitutus. Cæterum Catharina, tertia Ducis Caroli filia, noctu inter IX. & X. Novembris diem Nycopiæ primum vitæ primordium consequitur, quæ non ita pridem, nostrâ memoriâ, à Johanne Palatinatus Comite illustrissimo in matrimonium ducta, cum adhuc superstes vivat, illud ipsis diuturnum & fortunatum, propter insignes ac Principe dignas in ea virtutes, animitus exopto.

Anno MDLXXXV. Stephanus Poloniæ Rex nuperis de Moscho vi-
ctoris animosus, in Comitiis mense Januario Varsaviæ celebratis, regni
Ordines permovere conatur, ut armis vindicent cædem Legati Poloni
â Turcis contra gentium jura patratam; Smalenschoviam Rutheno,
domesticis seditionibus distento eripiant, & Suecos Danosque ex Li-
vonia pellant. Verùm Poloni temerarium esse considerantes tam po-
tentes simul laceſſere monarchas, his aliisque de causis Regem plus æquo
audientem nullo dignantur responſo, domum indè turmatim dilapsi.
Rex Stephanus igitur ſpe fruſtratus, aliter ſuis consulit rebus, & quoad
Suecum inprimis affinem, amicè litem cum ipſo tranſigere decrevit.

Ignorans tamen Rex Johannes congenerum bellum ſibi fuifſe molli-
tum, novis domi amoribus ſecurus indulget; Etenim post evolutum
haſtenū annuum mœſtitia curriculum, veſte lugubri depositâ, de alte-
ra cœpit tori conforſte ſibi quantocyus deligenda cogitare. Atque indi-
genam, non alienigenam ducere, conſultius regno & ſibimet probè
intelligens, illuſtrioresque Sueonum proſapias animo percurrents, unam
ex tribus virginum pulcherrimis, nobiliffimisque ſuo destinavit thala-
tho. Siquidem vel Sigridem, Comitis Petri filiam, vel Ebbam, Ho-
genschildi Baronis, aut Gunilam, Johannis Bielche, viri Equeſtris &
Dynaſtae Ostrogothici natam, formæ præſtantia non minū certantes,
quām olim Juno, Pallas & Venus, procus admodum illuſtris ductu-
rus, tandem velut Paris alter, Gunila magis capitur. Quæ licet ma-
terteræ foret neptis, videlicet aviam haberet Annam Reginæ Marga-
retæ ſororem, & magnifici Herois Axelii ab Hereseter, uxorem; Ni-
hilominus tamen Regi deſponsatur Johanni. Liberi autem Regii ex
priori conjugio geniti, Principes Sigismundus & Anna, quod parens
fereniffimus virginem ex proprio delegiſſet gynæceo, quæque matri de-
functæ fuifſet ab obsequiis, tacitè ſecum indignabantur, & haec potiſſi-
mum. Sed Rex Johannes liberorum non motus invidiâ, omnem iſpis
maternam tradit ſuppelleſtilem longè pretiosiſſimam, nec ſibi ex ea
quicquam retinet. Novâ verò prorsus regali ſibi & ſponsæ comparatâ,
ſicut etiam reliquâ nuptiarum pompa ſumptuosiſſime ſplendidiffiſſi-
que adornatâ, XXI. Februarii die matrimonii ſacra peragit Aroſiæ.

Quibus ſolenniter finitis, Senatus regni ad alia converſus negotia,
Regi ſuadet, nè filium emitteret Principem Sigismundum toties ve-
natum, quod patruus ipſi forſitan infidiaretur. Eandem prætereà fuſpi-
cionem abſentia Ducis Caroli ex nuptiis Regiis non parùm adauxit;
velut etiā quod aliàs rarò fratrem conveniret, indeque veteris cica-
trix discordiæ haſtenū obducta, cœpit refricari, prout Consiliarii
iſpem Princeps, ut hujus auctoribus, anno MDC. Lincopiæ expro-
bravit. Nec minū iſtam accendit ſimilitatem, quod mortuo nunc M.
Nicolao Ducatus Episcopo, Dux M. Petrum Jonæ (quod Rex ſui eſſe
juris, alium muneri illi destinando, contendebat) voluerunt ſubrogare.

Secundum porrò ſolennia nuptiarum Regi Senatores conſuluerunt,
nè adeò manifeſtè ſuam in regno cauſam agerent Catholicī, alioquin
periculofiſſimos in patriâ tumultus eſſe formidandos. Itaque merito
Rex Johannes ſubveritus, nè miſoliturgi fratre ad factioſes ſeducto re-
bellioni darent operam, decrevit conſilio Senatus pro tempore obtem-
perare, & iſolentiam Catholicorum nonnihil caſtigare, Jeſuitas hinc
aliquandiu relegando; atque ita furentes placare adverſarios: Qui Gu-
nilam habuere patronam, ut Catholicī priuī Catharinam; ideoque hiſ
non diſſiſter prävaluerunt.

Ac in primis quidem accusatus ab Evangelicis parochus Stocholmensium, Laurentius Forsius, quod Augustano dogmate deserto, Catholicum esset amplexus: Hic connivente Rege, officio & beneficio privandus judicatur. Vocatus igitur in sacrarium Basilicæ Arosiensis, ibi à regni Præstibus examinatur. Et cum palam fateretur se Catholicum esse, simulque probare conaretur; *Veram non esse Ecclesiam, cuius Romanus Pontifex non foret caput:* Sacro indutus vestitu inde ad summam tumultuosius producitur aram, & ibi non paucis Ceremoniis habitu & munere exutus, proclamat: *Mibi Domine Archipræstul abstulisti, quod profecto nunquam possedi;* potestatem ipsius elevans, & sacerdotium sibi non fuisse collatum ingeminans. Isto vero populus sarcasmo vehementer inflammatus, exeuntem dilaniasset, nisi Comes Petrus illum eduxisset in columem. Offendebat spectaculum præsentes Catholicos, qui frustrâ opem! Principis Sigismundi, nihil hac in re valentis efficere, implorarunt. Quapropter unus illorum natione Finlandus, vitæ genere autem Studiosus, in concessu illo Antistitum audacter comparrens, ipsum provocavit Archiepiscopum ad velitationem secum de fidei negotio paulisper instituendam.

Sed hujus contemptus ansam dedit posteà cuidam Misoliturgorum graviter M. Andream libello propterea famoso reprehendendi, qui vertere inscitiae ausus fuit Archiepiscopo, quod hujusmodi homuncionis certamen detrectavisset. Cæterum porro sciendum, quod Sacellanus Stocholmensis, Johannes Ericius Salemontanus, Laurentii Arosiae depositi ut parochi sui vestigio inhærens, ad castra etiam defecit Catholicorum. Ideoque in Germaniam ad Gymnasia missus Jesuitarum, ibi literis operâ aliquādiu datâ, regressus postmodum in patriam, Evangelicis reconciliatus fuit, quemadmodum sequenti tomo commorabitur.

Interim vero Stocholmiæ parochi fungebatur officio, M. Petrus Paulinus, voluntati se Regis in fidei negotio novandæ non minus accommodans, quam antecessor, & propterea secundum Regis Johannis obitum, in concilio male fuit Upsalensi mulctatus, prout etiam sequente narrandum opere; Modò autem Pontifici Gregorio XIII. parentandum. Is namque X. Aprilis morti succumbens, consequitur successorem in cathedrâ Romana Sixtum V. quem causæ Regis Johannis non tantum favisse arbitror, quantum decessor. Et propterea cum Suecus Romæ suo religionis proposito satisfactum iri diffideret, fertur affectasse unionem Ecclesiæ Suecanæ cum Græcana, & hoc in negotio Davidis Chyträi operam flagitasse, Præfulemque Finlandiæ M. Ericum cum Liturgia & tota fidei panoplia, Græcè ab illo translatis, destinasse ad Patriarcham mittere Constantinopolitanum; quem animum deinceps tamen mutavit.

Hinc etiam Chyträus hoc currente anno accepit documenta & commentaria de Sueciæ regno, quæ suis Historiæ libris passim legimus inserta; quibus cum, eximiisque simul muneribus fuit missus Rostochium Olaus Suercherius Regis Secretarius; Eidem simul existimo præfatum Liturgiæ negotium commissum fuisse. Possevinus autem istius ignarus molitionis, divulgato per hoc temporis spaciū libro contra priorem Chyträi responcionem, probat Johannem Sueciæ Regem, Romanæ magis quam Lutheranæ addictum esse Ecclesiæ, idque hujusmodi argumentis: *Quod in primis sanctorum iudicio Patrum, in Sa-*

Sacrâ Scripturâ recte intelligendâ, standum contenderet: Quod templa, Cœnobia & altaria per Evangelicos eversa, sedulò restauraret: Quod incruentum in Ecclesia Dei Sacrificium esse crede et & defenderet: Quòd reliquias Divorum thecis argenteis preciosis conderet: Quòd Västenensium foret monialium singularis patronus: Quòd jejunium, ut vocant, Quadragesimæ, sextæque observaret feriæ; morem sequens omnino Catholicorum: Quòd ritu similiter Romano mortuæ non ita pridem uxori justa persolvisset: Quòd in hujus exequiis clarissimum à Lutherano Archipræsule concionante palam Ecclesiæ Ronianæ dari voluisset testimonium: Quòd filium in Catholico permitteret dogmate educari, unicum regni hæredem: Quòd denique toti non ignotum Europæ quantum amoris & honoris ipsimet Romano exhiberet Rex Johannes Antistiti!

Nihilominus verò postquam Rex Johannes Arosiâ Stocholmiam remeasset, propter dictas anteâ causas, ibi dissipato Jesuitarum collegio, ipsos ex Suecia per mare ablegavit. Velut P. Laurentius Norvegus primarius illorum, suo contra Sconiæ Præsulem libro testatur his verbis apologetico: *Nunc, inquit, qua fide in rerum Sueticarum narratione versetur, & illud videamus; Venerunt quidem ex Societate nonnulli in Sueciam, qui Regis Johannis jussu egerunt, ut Sueones se ab Evangelicis deceptos esse intelligerent, & ad majorum suorum fidem ac religionem redirent. Verum cum Ministrorum illud genus de dolo & erroribus convictum, pertinaciam suam declararet, fidemque Regi datam non servaret, & Princeps ideo suâ in eos autoritate vellet uti, prout etiam fecit, Societatis Patres rationem eam non probantes, ac turbationem prævidentes, multis precibus obtinuerunt, ut saltem ad tempus regno excedendi potestas sibi fieret; Quodobtinentes, ab ipso Rege, navi regiâ honorifice ita sunt dimissi, ut tamen semper ibidem esset, qui Rege superstite locum teneret. Hæc ille Norvegus, qui etiâ alibi fatebatur, se postmodum à Sueco sollicitè indagatum fuisse, nec tamen inventum quod remotius à Scandia Viennae Austriacorum aut Romæ degeret. Etenim à Possevino accusatus, quòd modò non convenienti religionis causam in Suecia egisset, illuc fuit citatus à generali Ordinis Præposito; Propterea in Italiam festinaverat, nec amplius hic remeavit.*

Sic dissipato Jesuitarum in insulâ Stocholmiæ collegio, cætus pariter alibi in urbe habitus Catholicorum disturbatur, publico Regis edito; Quod Gustavus Banerius promulgavit, jubendo ut qui communem Sueciæ religionem, intra spaciun anni non amplectentur, patriam exilio commutarent. Sed memorat Abrahamus Catholicos hujusmodi edictum pro jocis habuisse, & Stocholmiæ licet religionis exercitia aliquandi intermisissent, alibi tamen videlicet in prædio Principis Sigismundi, Drotningholmiano, & Cœnobio Västenensi, eadem retinuisse Regis conniventia, & tacitâ licentiâ; sicut etiâ post modicum temporis pristinam Stocholmiæ Ecclesiam aperuisse. Interim Rex Johannes serio agendo sive simulando in Catholicos odium, ut factiōnibus obviaret Misoliturgorum; Illis ultrò gratificaturus in Collegio Stocholmiæ insulano Professores approbat minus Liturgiæ suspectos, nimirum M. Nicolaum Bothniensem, Hebraicæ ac Græcæ peritum lin-guarum; M. Ericum Schinnerum, eloquentiâ insignem (qui propterea flos Sueciæ, ut alter Phœnix, fuerant à suis vocati fautoribus;) M. Petrum Chenitium, & quosdam alios non vulgaris homines eruditio-

Atque ita ad finem hic decurrebat annus. Quem suis cludebat nuptiis Anna Ludovici Palatini vidua, & neptis Gustavi Regis; utpote quæ Decembri mense fuit desponsata & copulata solenniter, Ernesto Friderico, Caroli filio Badensium Marchioni.

Anno MDLXXXVI, Fridericus Danorum Rex ab Henrico Navarræ Domino auxilium rogatus adversum Catholicos, doctrinam in Gallia Calvinianam armis delere, Navarrenoque velut summo illius promotori, adimere jus thronum adeundi Gallicum molientes, Regem Galliæ amica hortatur legatione, ut reformatæ in suo regno hominibus religionis libera concederet fidei exercitia, ipsis sancte nuper promissa. Quandò alium unà misit Legatum in Hispaniam; & tertium in Angliam, suam Principibus deferens operam in extingendo tempestivè bellorum incendio, quod in Hollandia & America inter Hispanos Anglosque periculose admodum flagraret. Ex Galliâ porro æstatis initio responsum Danus non expectatum naestus, & denuò per Navarrenum de subsidio sollicitatus, Julio mense, cum Lutheranis & Calvinianis Germaniæ quibusdam Principibus, Lunenburgi de hac re fuit collocutus; Ibique decreatum à Danis, Germanis & Anglis, Navarreno subsidium, exercitusque usque actutum collectus in Galliam est ablegatus. Itaque cùm Romanus Antistes Sixtus V, his, aliisque rebus Danum sibi obsistere, Catholicique dogmatis conservationi ac restitutioni passim foris, domique incommode, non citra indignationem animadverteret, scribit quidam Jonas Henricius in Dithmarsia natus, illum advocate in subsidium Hispano, deinceps Fridericum regnis exturbare, & Daniam, Norvegiamque subjugare. Atque ut tota molitionis structura melius, penitusque inspiciatur, quam ille Jonas conversando cum summis in Italia Primitibus & Optimatibus se modo cognovisse memorat, eam copiosius meo penicillo, & ipsius pigmento, genuinonè an adulterino haud discernens, paulisper delineabo.

Cum Rex Stephanus, inquit Dithmersius Medeldorpensis, Polonorum Rex, nuperis ex Moscho victoriis sæpius reportatis, gloriosum sibi nomen ubique gentium comparasset, decrevit ipso tanquam bellacissimo, Catholicæque religionis amantissimo, sicut etiam operâ simul Regis Hispanici & Suetici ad fidem propendentis eandem, hoc quidem Pontifex uti pacto. Rex Stephanus nervum belli copiofum à Romano & Hispano liberaliter suppeditatum adeptus, XV. millia equitum, & totidem millia peditum compararet, hisque succinctus agminibus per Pomeraniæ & Megapoliam festinaret in Jutiam; Interim verò Pontifex armatam XX. navium classem, ex Gedanensi vel Rigeni, aut Elbingensi, educeret portibus, tantamque Suecus ex Calmarnensi, & totidem naves ex Galicia Hispanus accitas, illis adjungeret. Quæ LX. navigiorum optimè instrutorum classis, Danicâ flammis absumptâ, vel fluctibus demersâ, dominium Baltici maris sibi vendicatura esset, ac deinde defensura; fretum occupatura Cymbricum, vectigal ibi levatura; solitam Anglis & Hollandis, Flandrisque, donec cum Philippo redirent in gratiam, frumenti Dantisco & aliundè apportionem prohibitura; velut etiam simul Stephano, terrâ Daniam impugnanti, opem latura; copias ex Jutia in Fioniam, hinc in Selaniam & Sconiam transvectura, & Caroneburgum, Hafniamque à parte maris oppugnatura. Quo Johannes Sueonum Rex tempore, cupidissimus procul dubio præcas vindicandi injurias patriæ frequenter à Daniæ olim Regibus irrogatas, & amissas recuperandi provincias, terrestri etiam producio exercitu, Hallaniam, Blechingiam & Sconiam subjugaret. Ita por-

ro Daniæ regno iubacto , & Friderico cum Proceribus in exilium , vel potius exitium dato , victoribus præmia essent dividenda. Pontifici Romano decimæ & omnes cederent Daniæ proventus Ecclesiastici , prædiaque cum Ecclesiis & Cœnobiis , qui fide in Daniam Catholicâ postlimi- niò revocatâ , inde Clero foret provisurus sustentationem. Sed Hispanus vestigal freti percepturus Chroneburgici , & toto Daniæ imperio fruiturus , præterquam Sconiæ , Hallandiæ & Blechingiæ , quas Suecus esset recepturus provincias , partemque Norvegiæ deinceps expugnandæ ; Ast reliquam Philippus , & totam ibi Sixtus cum successoribus jurisdictionem habiturus Ecclesiasticam. Polonus demum ex telonio Danici treti quotannis centum millia thalerorum ; & sexaginta ex thesauro Romæ Pontificis esset accepturus ; Hujus autem militi præter salario fideliter solvenda , lytrum omne à captivis numeratum , esset distribuendum ; prout Hispanico Nobilium opes Danicorum permittendæ. Cæterum ut stabilior hujusmodi Suecos & Hispanos inter confederatio perseveraret , affinitate quadam esset conglutinanda , & Regi Sigismundo , Johannis filio , una filiarum vel agnatarum Regis Philippi foret elocanda. Finitimas prætereà Vandalorum civitates non difficulter sibi devincent fœderati , pristinis in Hispania , Suecia & Dania , Norvegiaque immunitatibus negotiandi concessis. Atque si Danorum aliqui rebus studere novis depræhenderentur , his ad triremes damnatis , vel in Indiam , aliochè relegatis , fideles essent coloni aliundè quantocyùs adducendi. Hæc Jonas Medel-dorpensis.

Quantum tamē ad Johannem Sueciæ Regem attinet (qui machinatio- num hujusmodi fuit , dubio procul , ignarus) constat ipsum pacis hoc tempore magis , quam belli fuisse cupidum. Animo siquidem habuit conclusum , domi , forisque pace cum adversariis confectâ quibuslibet , re-gni gubernaculum filio , undeviginti annos nato Principi Sigismundo trædere , & ipsemet vitam imposterum Upsaliæ privatam agere ; Quò decreverat doctissimos undequaque viros ad functionem ibi Academicam convoca-re , horumque quotidianus inspecto , summus Cancellarius & director fieri constituerat.

Proptereà cum Polono imprimis ita convenerat , ut tempore autumni tota quoad Livoniā & æ quondam mutuò datum per Commissarios utriusque decideretur controversia. Deinde cum Moscho , quem pacis secum ineundæ propter insultationes maximè Polonorum , Smalenscovien- sem & Severiensem Ducatus flagitantium contumaciter , intellexerat studio-sum , transacturus , illum non difficulter ideo permovit , ut habito juxta limites colloquio inter Commissarios utriusque , quadriennalibus V. No-vembribus subscriberetur induciis , & novus approbaretur conventus XX. Ju-lii die anni sequentis , de perpetua instituendus pace facienda , concedereturque ut parta Sueci retinerent interim ; Qui alioquin grandi exercitu , quem bello accinctum in vicinia habuerunt , mox hosticum invasuri essent.

Hoc tractatu existente Pontus de la Gardie Sueticarum duxtor copiarum supremus , & Commissariorum unus , à colloquio cum pompâ regrediens per fluvium qui Narviam interabitur utramque , disruptâ ex vehementioribus machinarum explosionibus cymbâ , eodem die aquis suffocatur , cum aliis XVII. hominum , & Revaliæ deinceps humatur. Commissarii verò Poloni cùm hactenus Parnaviæ Sueticos in colloquio detentos Ruthenicō , nimis diu expectassent , indignatione frementes domum abiverunt.

Denique cum Dano pace frui cupiens , ut facilius pristina Trium Co-ronarum decideretur controversia , rogatus ab adversario consenserat , ut

per indigenas, non alienigenas illa componeretur, & actio post sequens quadriennium primum iteraretur. Et tandem domesticas quoque cum fratre periculosas simultates penitus tollere cogitavit.

Quocircà cùm à Carolo, non minus concordiæ cupido, quòd timebat nè frater pacem cum exteris nactus hostibus, arma in se convertebat, sæpius esset modò sollicitatus, ut quaslibet condonaret offensas: Consensit ut per Legatos secum ageret in primis, ipsemet verò in Regiæ compareret, nè mutuo animi magis conspectu colloquioque exasperarentur. Paæto autem Dux satisfaciens, missis ad Regem XVII. Augusti Commissariis, Comite Carolo Sture, Achatio à Thijdön, Axelio Rynning à Thuna, & Ludberto Cavero ab Oechna, illis mandavit Regi narrare fratrem ad obsequia paratissimum esse, cui veteres condonaret offensas; A Ducatus tamen jure in actionibus utrinque controversis, nè latum quidem unguem discederent: Atque Clerus in Ducatu Episcopum, Rege inconsulto, quòd elegerit, & Princeps enndem confirmarit, si moveretur quæstio; responderent illud Ordinantiæ priori, & paterno testamento donationique, non esse contrarium. Verum tamen si propterea negotio concordiæ infecto inde sibi remeandum animadverterent, concederent Regi restaurandæ gratiâ amicitiæ, quòd nominatum à Clero Ducatus Antistitem, & à Principe approbatum, Regiæ esset jurisdictionis deinceps confirmare, & fidelitatis juramento illum sibi obligare; ita tamen ut simul etiâ Duci, velut immediato Domino, ibidem obstringeretur. Nihil itaque fidelissimæ diligentia intermitterent Commissarii, quòd hac vice pristina se & fratrem inter redintegraretur benevolentia.

Cum hujusmodi porrò instructione illi ad Regem sunt profecti, & ipsum Stegeburgi conveniunt. Sed majorem in hoc negotio difficultatem experiuntur, quam opinabantur; Itaque cognitâ Regis voluntate, cum articulis in quibus tota, velut in cardine, verteretur controversia, ad suum redeunt subtristiores Principem.

Per idem quoque tempus non minor coepit dissensio inter Polonus & Rigenes; Enimverò cives Lutherani plurimum indignantes, quòd ipsis à Rege Stephano Calendarium obtruderetur Gregorianum, & Catholicis in urbe religionis exercitium concederetur, rebellionem, defectionemque à Polonis clanculum moliuntur. Nec Dominum sibi alium magis convenire, quam Sueciæ Regem considerantes, Suetico se imperio subdere, fortunato Revaliensium exemplo, consultissimum decreverunt; Plexi propterea ab illis aliquot Polonorum fautores. Quorum alii nonnulli ad Regem Stephanum profugentes, Rigenium ipsi motu produnt, & Sueticam illis classem subsidio propediem adventuram falso, ut arbitror, afferunt. Unde Polonus ad arma convolat, & bellum in Rigenes quantocius apparat. Suecus autem, nihil minus quam de Rigenibus forsitan solicitus, Ecclesiasticis & profanis invigilat domi consummandis Regiæ prorsus magnificentia ædificiis, quæ inter fuerat restauratum amoenissimum quondam Upsalensium Archipræsulum palatium Arnense, quod isto labente anni tempore fuerat eleganter profecto absolutum.

Cæterum Calendis Octobris mortem oppetiit Dux Holsatiæ Adolphus, IV. filius & totidem filiabus cum conjugé in mundo relictis, harumque una fuit Christina, quam post quinquennium ducit in matrimonium Sueonum Princeps Carolus, illaque genuit ipsi deinceps filium Gustavum, qui succedit parenti deinde Regi facto.

Sed hoc tempore Legatis Stegeburgo Nycopiam reversis, Carolus XXIII. Octobris die missis respondens articulis utrinque controversis;

Primo, asseverat, illam quoad Præfulum in Ducatu electionem & ceremoniarum cultum, non posse facilius componi dissensionem, quam si Ordinaria MDLXXI. observaretur impressa: Secundo, æquum esse, ut supremus Ducatus Legifer seu Produx, à Rege quidem deputandus, suo Principi, velut præcipuuſ hujus Consiliarius, ſoli præſtaret juramentum fidelitatis: Tertio, ſe ut fratri gratificaret tantum concedere, ut Nobiles Ducatum inhabitantes militaria Regiæ Majestati exhiberent obſequia: Quartò, non iniquum eſſe ſe ſtatuere, ut in ſingulis mutationibus regiminis Dux & ſubditus huic populiſ, novo præſtarent Regi, ac vicifim ab ipſo acciperent juramentum fidelitatis, ſecuritatisque: Quintò, licet minus eſſet commodum ut ſuus non alibi habitet miles, quam in Ducatu; tamen concordia gratiā eos militum ſe exautoraturum, qui alias incolementes regni provincias, in Ducatum recuſarent migrare: Sexto, publica Regis decreta edictaque eſſe Ducis & Ordinum consensu promulganda, atque ita intra Ducatum, velut extra, executioni mandanda; Ut mutarentur verò, vel abrogarentur, Duce & Statibus inconsultis, non legitimum ciferi: Septimo, non eſſe inconveniens, ut incolæ Ducatus ad conventus vocati publicos, in his promptè comparerent, dummodò priuſ Duci tempeſtivè inſinuaretur, de quibusnam ibi rebus deliberandum foret: Octavo, non refragandum ut in habitator Ducatus peremptoriè citatus à Rege compareret, quando cauſa propter quam vocaretur, extra Ducatum contingit; Inhumanum tamen videri, quod non foret Duci permifſum fovere tantisper citatum, donec ſuā mitigarit aliquantulum interceſſione iram Regis: Nonò, nolle ſe Regi permittere in Ducatu ſuo inquisitio- nem, quæ vulgo Konungz Räſt appelletur: Decimo, quoad bona caduca, & ad fiscum devoluta, obſeſcra ut Rex respoſo eſſet contentus dato à Legatis: Undecimo, flagitare licentiam cuſendi monetam: Duodecimo, non inficiari ſe quod Regi competat Nobilitatis Ordini privilegia ut confirmet: Ultimo, Ducatus incolas non immunes à publicis, generalibusque eſſe contributionibus confiteri ſe lubenter.

Hactenū præterea Rex Stephanus bellum Rigenſibus moliens, menſe Novembri Grodnæ cum exercitu confedit, ibique colloquio agitur diebus aliquot de lite transigendo. Atqui cum Rigenses inter ſpem & metum penderent, urbiske excidium ſubtimerent, mors Regis Stephani, quæ in alterum Decembris diem incidit, cives formidine illâ liberat. Porro ſi vera ſit Jonæ Meldorpensis narratio, inſperatus idem Regis Stephani obitus non parum mœſtitiae Pontificiis & Hispanis conciliavit, opusque muuæ in illos molitionis proſtravit. Nec ſecundum magis habuit ſuccellum Principum conſpiratio protestantium cum Dano, & Navarreno adverſum Catholicos: Siquidem numerosiſ ille variarum nationum exercitus priuſquam hostes attigerat, intestinâ conturbatus diſcordiâ, totus diſpersus fuit.

Interea temporis Johannes Suecorum Rex fratris respoſo magnopere offenſus, indictis Vaſteni Comitiis, eum peremptoriè illuc citavit. Quò etiā vocatus Archiepiscopus cum aliis Ordinibus, mandatum accepit à Rege, ut ante ſuum in Ostrogothiam abitum divulgatis ad Clerum Uplandiæ literis, ſignificaret cauſam citati ad Comitia Caroli. Nam ſub verebatur Rex Johannes, nè finiſtri quidam ab adverſariis in vulgus ſparſi hoc de conuento rumores, tumultus in regno concitent. Monitiſ his obtemperans M. Andreas & cæteri Sueonum Præſules (erant etiā illi hujus negotii commonefacti) per ſuam quiske diceſein, mandat ministerio, ut pro concione populo diligenter inculcarent, Ducem Sud-

dermanniæ ideo citatum à Rege quod perperam intelligens ultimam parentis voluntatem, Episcopos & Superintendentes, prout Stregnesiæ ac Mariastadii fecisset, sibi arrogaret potestatem constituendi: Simul & designandi in Ducatu Nomophylaces; Sicut etiam quod Nobiles ac ignobiles, Ecclesiasticos, Politicosque nimiis oneraret exactioribus. Hinc igitur esset vocatus, ut rectius in conventu informaretur, nequaquam impugnandus vel captivandus. In iisdem pariter literis clerum Antistites ex mandato Regis hortabantur, ut contemptis blasphemorum voculis, sedulam daret operam Liturgiæ, munia nulla obiret Ecclesiastica nisi candido esset hinc amictus, & certo sciret certius inobedientes Sacerdotes debitas contumaciæ pœnas luituros. Verum Dux Carolus sibi meritò timens, suum ex Ducatu militem sub signa cogit; Suum vicissim quoque Rex Johannes; ita ut armata Västeni Comitia non togata plororumque judicio futura essent.

Anno MDLXXXVII. Regina Poloniæ post mariti obitum de filio sororis Principe Sueonum Sigismundo ad orbum regni thronum aviti promovendo sollicita, tempore interregni Præfulibus & Proceribus Polonis illius occœpit suadere electionem: Naëaque non paucorum suffragia, quos inter fuit potissimum Johannes Samoscius, Regni Archigrammatæus & Pollemarcha, nuncio in Sueciam transmisso statum Poloniæ manifestat, & Principem Sigismundum ad expetendum regni sceptrum instigat. Interim Sueones Gothique Västeni confluunt mense Januario. Verum Sudermannus suorum quorundam consilio persuasus, rebus suis consultius existimat domi remanere, & tueri causam armis. De aggrediendi igitur modo cum primariis sui exercitus dum consultetur, audiens Centurionum quidam veteranus, rationes quas probare nollet, prodiit in medium, & impetratâ loquendi licentiâ, gravi comprobat oratione, quām nefarium ac temerarium esset usque levibus de causis ancipitem Martis aleam jacere; intestinum incipere bellum, externis nec dum omnino extinctis; & fratribus belli subdere faces, quibus, ipsimet & sectatores utrinque conflagrarent, ac peregrino iterū Tyrannorum dominio patria, legitimis ita possessoribus & moderatoribus orbata, cederet lanientia. Satis porrò inquit, Suetici sanguinis fraterna prius discordia profudit, hujusque non amplius vos memores esse temeritatis animadverto, qui fratribus adhuc & quidem Gustavi filiis ambobus classicum canitis.

Deinde sermonem ad ipsum convertens Principem, sic infit: Serenissime Dux Carole, sub tuo à pueritiâ propemodùm vexillo militavi; in tuo bos canos naëtus obsequio; tecum vivere imposterum morique non recuso; tibi fidelitatis quidem juramento me obligavi, tanquam Domino mihi peculiari & Principi regni heredario; sed Regi Johanni tamen velut tuo, meoque ac totius Sueciæ Domino supremo fide quoque teneor. Utrique vestrum inquam salutare ut à me subdito consulatur, mei officii est; propterea tibi suadeo, ut depositis armis, primùm legibus & privilegiis causam pericliteris, dato à Rege fretus conductu; Verboque fraterno fidens Västenum accedas; tibi firmissime persuadendo, si Rex sui juramenti oblitus, neglecto juris & justitiae prescripto, arctoque sanguinis vinculo disrupto, aliquam tibi violentiam intulerit, me ac meos commilitones istos acerrimos injuriæ hujusmodi vindices te habiturum; Ideoque interea domi haud dormitabimus, sed vigilias agemus, quasi continuo tibi armato assisteremus.

Non displicuit Principi vel auditorum reliquis animosa senis oratio, & Dux Carolus inde permotus, non quidem cum exercitu, sed tamen ad vim aliquomodo vi repellendam paratus, illustrissimâ conjugi Mariâ comite Västenum proficitur. Urbem tamen non ingressus, in propinquis pagis aliquandiu commoratur. Interim regni Consiliarii Regem ac Ducem inter ultrò citroque commeant, atque jus patrium &

& testamentum paternum dexterè interpretantur, alter alteri ut placaretur; intermeante simul etiam continuò clarissima & charissima Ducis uxore, & precibus & lacrymis modò levirum modò maritum ad concordiam mutuam flectente. Dux Carolus tandem tempori serviens, & errorem quasi agnoscens, veniam flagitat: Eam tamen non aliis impetrat, quam talibus fermè conditionibus, quales Anno MDLXI. Arbogiaæ Johannes & Magnus Principes, cum Erico Rege quondam coacti fuerant inire. Cæterum quoad Liturgiam à clero Ducatus suscipiendam, de quâ fuerat simul molestatus, respondet Dux negotium religionis ad presbyterium spectare; Quod propter Synodus esset primo tempore celebraturus, & quicquid in ea statueretur, se paratum quoque subire. Confidens igitur Rex Johannes Sudermannos, Nericios & Vermelandos, Vasbogenfesque magis se jam accommodaturos Liturgiæ, reliquorum hic Västensi fancivit Ordinum consensu, ut quamprimum in Ducatu morigeri facti essent, fieret utrobique quædam religionis conformatio; Verum hac postmodum spe frustratus, longè vehementer Rex excanduit. Ministerium enim Ducatus Stregnesiæ initio veris convenit, & Liturgiâ diu multumque ibi ventilatâ, demum his de causis ipsam penitus recusat, suamque confessionem illi oppositam, atque ibi compilatam divulgat: In quâ præter cætera adstruunt nullam sufficientem esse causam, ut priori Evangelicâ Missæ ac Ceremoniarum formâ antiquatâ Liturgiam cum novo suscipieret apparatu. Esse enim illam manifestissimum introitum Papatus Svecis denuò obtrudendi, qui cane, angveque pejus detestandus. Denique in postrema à seniore Archiepiscopo synodo coactâ, Confessioni Augustanæ ita literis & juramentis se adstrinxisse, ut citra gravissimam Dei offensionem aliud non posset dogma amplecti.

Västeni porrò Comitiis finitis, illuc ad Aulam pervenit Uchancius Polonicæ Nuncius Reginæ, qui exponit Johanni Regi & Sigismundo filio, cuius rei gratiâ esset eò transmissus. Nova igitur suscipitur deliberatio, eaque aliquot deinceps durat septimanis. Quando etiam cum Johannes adhuc Västeni degeret, Marchionem Badensem sororis filium Ceciliæ, se invisentem insigni pompa exceperat.

Interim crebro Rex oblectandi animi causâ Cœnobium cum filio ingrediens, habet quadam vice unam Monialium supplicem nomine Ingriedem, filiam Aaronis. Hæc, cum obsecraretur ut Monasterium sibi liceret matrimonio commutare, asperius primum à Rege accepit responsum; Qui posteà victus tandem pertinaciâ jocosius supplicantis, ac maritum omnino desiderantis, consentit. Hinc illa monitionibus Antistitiae contemptis; & ea valedicta claustrum protinus deserit, sponsumque nanciscitur Laurentium Joannis Carelium, in Rationum Camera Scribam, à quo in uxorem duciatur. Nec multo post tempore cognoscens Rex, quòd unus suorum Musicorum, Johannes indè Cantor nuncupatus, palam in Ecclesia parochiali Stocholmiæ concionatorem mendacii in Catholicos admissi arguisset, illum propter scandalum & tumultus periculum mandat carcerebus mulctari; Unde postmodum liberatus Romam peregrinatur, & denique Monasticen à St. Dominico traditam Uratslaviæ amplexatur: In quo vitæ instituto non ita pridem Dantisci mortuus est: Ubi etiam præfacta dececessit Ingridis uno eodemque prorsus tempore, diverso vitæ genere transacto.

Sed Västenum revocor, ubi Comitiorum tempore comparens simul M. Ericus Schepperus, homo quidem facundus, ast ingenii valdè turbulenti, sedulam Regi promittit operam in promovendo Liturgiæ negotio;

tio ; & propterea Stocholmensis evadit pœnitentiarius , multisque cecinit ibi classicum tumultibus , prout sequens passim indicabit Historia.

Cæterum Regi Johanni placuit post longiusculam deliberationem , de throno Poloniæ filio oblato , Legatos in Poloniæ mittere ; Atque hujusmodi munus obiverunt prælustres viri , Ericus Sparrius , Regni Consiliarius & Procancellarius , ac Ericus Brahe , Comes à Wisingzborg , in aula Principis Sigismundi Marschalcus . His in mandatis datum ut ex consilio Reginæ Annæ nominum solutionem veterum , aut Principis Sigismundi urgerent electionem ; Sin neutram obtinerent , Polonus ingratitudinis arguerent in Jagellonios admissæ ; exigenter nomina minacius ; & captas sub Venda machinas , Polonis mutuò concessas , repeterent ; objicerentque transactionem cum Moscho minus honestam , Svecis contra pactum exclusis . Verùm si causæ utrique addictos comperirent Polonus , omissâ debitorum mentione , Electioni duntaxat operam darent promovendæ ; exaggeratis commodis quæ inde forent Regnis accessura , & inter alia perpetuam in Ruthenos futuram confederationem ; Nihil quidpiam tamen Polonis concederent quod cum Sveciæ coniunctum videretur aliquatenus detrimento .

Pervenerunt initio veris Varsaviam Commissarii , inchoatis jam XX. Junii Comitiis , & cum quamplurimos Procerum ad Principis Sigismundi electionem propendere intellexissent , incumbendum ei negotio foli statuerunt . Competitores porrò fuerant throni Poloniæ , noster Princeps Sigismundus , Maximilianus , Ernestus & Matthias , Cæsaris Rudolphī fratres ; Deinde Theodorus Moschoviæ Princeps , atque nepotes Regis Stephani ex fratre , Voivodæque Transylvaniæ ; Nec pauci fuerant Ordinum , qui alienigenis penitus rejectis , indigenam censerent eligendum . Itaque cum diu contrariis certassent suffragiis , tandem IV. Auguſti placuit ipsos candidatorum Legatos auscultare ; Et cum priis data fuisset facultas dicendi Moschoviticis , quam Sveticis , hi postridie in Senatum vocati , comparere noluerunt , antequam de Regis sui præminentia cum Poloniæ Ordinibus scripto essent protestati . In quo regni Svetici & Gothici antiquitatem , celebritatemque admodum luculenter demonstrarunt , & contrarium de Ruthenis probarunt , prolatâ simul oratione , quam habuisset Nicolaus Ragvaldius Vexionensium Antistes , simili de causa in concilio quondam Basiliensi .

In Ordinum postea conventu comparentes , oretenūs priorem repetunt protestationem , quæ in judicio Ordinum castrensi fuerat ratificata , regnique sigillo comprobata . Finitâ protestatione , Legati pro Principe Sigismundo cum non modico applausu fautorum perorarunt , demonstrantes nulli sceptrum Poloniæ potiori conferendum esse jure , quam Principi Sigismundo ; propterea vel maximè quod Jagelloniâ foret oriundus familiâ , de Polonis , Lithuaniaque præclarissime omnium promeritâ ; quod religione Catholicus ; quod Polonici non ignarus sermonis ; quod virtutibus Regiâ dignis Majestate ornatissimus . Præterea commemorantes , quam formidabiles Sveci & Poloni amicitia fædereque juncti suis evaderent hostibus : quam graves inde tollerentur controværiae , quæ Regi Sueonum cum Polonica intercederent republica , nomine mutui , dotis & hæreditatis maternæ ad liberos pertinentis Catharinâ genitos .

His , aliisque rationum documentis potior Ordinum pars non difficuler persuasa , floccifactis Sboroviis , Maximilianum Regem proclamantibus , ad Johannem Samoscium hujusque sectatores Principi Sigismundi mun-

mundo faventes, secedit, & mutuò sub tempus meridianum IX. Augu-
sti, talibus consentiunt in Sigismundum conditionibus, Poloniæ Regem
futurum: Nimirūm, ut perpetuum esset fœdus inter Sveciæ & Poloniæ
Regna adversus utriusque finitimos hostes: Mortuo parente, Princeps
Sigismundus sceptrum caperet Svecicum, ad hæredesque transmitte-
ret primogenitos; Quò si necessitas postularet, consensu Ordinum Polo-
nicorum & Lithuanicorum se posset conferre. Classem armatam in usus
Poloniæ Lithuaniaeque suo instrueret sumptu, cum ipsâ foret opus:
Machinas certo numero bellicas, cum necessario his instrumento, Po-
lonis adversus Novogardiam, Plescoviam vel Smolensciam belligeraturis
suppeditaret, & captas sub Venda Reipublicæ donaret; Sicut etiā nō-
mina quælibet, nempè mutuum, dotem, hæreditatem, & quæcunque
alia: In finibus Regni Ordinum arbitrio arces V. suis impensis ædi-
caret: Homines peregrinos in Regnum ità secum adduceret, ut nu-
merato ipsis salario ex propria crumena, hinc protinus illos expedi-
ret: Cum Svetico simul esset gubernaculo admotus, nullis Poloniæ ne-
gotiis Sueticos adhiberet Consiliarios: Polonis & Lithuaniae sui custodi-
am corporis, non aliis, committeret: His quoque solis prædia, digni-
tates & officia conferret: Stipendia militibus, quorum operâ Rex Ste-
phanus in Livonia & Podolia usus, in sua persolveret coronatione:
Paœta inter dissidentes in religione inviolata servaret: Jura, libertates,
privilegia, & statuta regni omnia confirmaret; Denique partem Li-
voniae Sueco subiectam reliquo Provinciae adjungeret corpori. Sed cum Legati Sue-
onum cæteris quidem approbatis, postremo nollent articulo consentire,
Anna Polonia Regina bonis suis quibuslibet pignori datis fidejubebat.

Et quandoquidem inde non modica postmodum controveria pro-
manaverat, ut melius de ipsa lector informeris, tenorem hic inseram
decreti, quoad ipsum articulum: Item Livoniae partem, quam Serenissimus
Sueciæ Rex nunc possidet, ad reliquum corpus Livoniae, regnum Poloniæ & magnum
Ducatum Lithuaniae, adjungere & incorporare tenebitur; Pro quo, ut Serenissimi Regis
Legati spöonderunt, ita Serenissima etiā Anna Regina Poloniæ, cavit, cavitque
omnibus bonis suis; tam in Regno Neapolitano, quam Ducatu Barenſi & Rossa-
nensi, Duariaque Foggia constitutis: Tum in dote ac contradote, summisque &
in universum bonis omnibus, tam mobilibus quam immobilibus, intra & extra
regnum constitutis.

Interea Vasteno Rex Johannes Calmarniam secesserat, & nactus
ibi conditiones Legatis Varsaviæ propositas, misso ad fratrem Thuro-
ne Bielchio, illum super iis consulit, significans insuper, ut filius etiā
de sceptro patriæ deinceps obtinendo minus ambigeret, opus esse, ut
Dux & Ordinum reliqui, quadam hujus nomine nunc se obstringerent
illi obligatione. Hic Legatus demum Nycopia V. Julii abiit cum re-
sponso, quo Estoniae alienationi Dux Carolus refragabatur, minus ta-
men Principis Sigismundi ad Poloniæ thronum promotioni, suam ipsi
promittens obligationem, & qualem postularet intelligere cupiens. Nec
Sudermannus his contentus, propriâ Principem Sigismundum compel-
lat legatione, quâ fungens Ludbertus Caverus, tantos nomine Princi-
pis gratulatur Principi Sigismundo honores, & precatur ut patruum sui
amantissimum amore priftino complectetur.

Verum Rex Johannes cognoscens quod Maximilianus nono post
electum in Polonia filium die à factiosis designatus, arma pararet, ma-
gnoperè contristatur. Atque à filio quod minus æqua Poloni flagita-

rent, & quod tranquilli unicus regni haeres in perturbatam mittendus Poloniā; tantum ipfemēt amissurus quoque creditum, ac simul Estoniaē nimio Sueonum sanguine occupatam; imprudentis, non prudentis esse Principis & parentis, si concederet, clam statuit. Hinc permotus animo vacillat; simul ipfemēt Princeps Sigismundus à Polonica totus abhorruit profectiōne, parentique factus aliquoties supplex, illam deprecari conatur. Interim porrò Senatores & sectatores in Polonia Principis Sigismundi, Martinum Lisnovolum, Podlachiæ Castellānum, pro illo quantociū ex Sueonia in Poloniā adducendo, ablegarunt. Mandarunt quoque Posnaniensi, Vratislavienſi & Præmisliensi Episcopis, Califiensi Palatino, ac Ravensi Castellano, alisque Nobilium haud paucis, ut Dantisci occurrerent appellenti, exciperentque ibi futurum per quam honorificè ac magnificè Regem; Sicut etiā cum illo de conditionibus electionis prioribus transigerent. Suā tamen Polonos spe frustandos Ericus Sparrius non ignorans, nisi reversus ipfemēt in patriam, Regi Johanni & Principi Sigismundo persuaderet, ut satisfacere votis Polonorū non gravarentur; propterea literis à Regina & Cancellario acceptis, quibus Electum invitarent mirificè, properavit in Sueciam. Sed Cancellarius Poloniæ, Samoscius, Cracoviam cum exercitu profectus, ipsam nomine Principis Sigismundi, velut regni metropolim suscepit defendendam. Indeque cum aliis Procerum quibusdam XXVI. Augusti perscripsit Pontifici, Imperatori, Hispano & Electoribus Imperii, ac simul Maximiliano, æquissimas producens causas, quibus moti Poloni Principem Sigismundum sibi delignassent Regem, & Principes illos Europæ admonens, nē factiosi crederent, vel aliquid ferrent subsidii.

Adventante autem Erico Sparrio Calmarniam, & totum Regi negotiorū melius exponente, simul etiā Legato Ordinum accedente; ac iisdem ambobus fidem Regi facientibus, Principem Sigismundum quoad Estoniae alienationem haud molestatum iri, animum pater, filiusque paulatim receperunt, nec obſtiterunt diutiū votis Polonorū, sed jussū Regis itineri necessaria parata sunt. Consensum tamen ita Rex Johannes præbuit, ut filius Dantiscum perlatus, ex classe nullatenus in continentem descenderet, priusquam ab occurrentibus ibi Confiliariis firmam accepisset sponsonem, quod Estoniae possessionem non imposterum effent affectaturi; sin minus, versis alacriter proris, in Sueciam remearet. Quo tempore Dux Carolus etiā successum electionis intelligens, novis literis Principi Sigismundo denuò gratulatur, simul admonens, ut rebus suis probè prospiceret, antequam periculis plenam hanc susciperet profectiōnem. Patruo II. Septembri de gratulatione & admonitione gratiæ à Sigismundo aguntur, & petitur pristinam conservaret in se benevolentiam, mutuam expectando; Præterea fides data nonnullam quidem Polonis futuram Estoniae spem obtainendæ à Legatis licet citra ullam parentis voluntatem quædam effet facta: se potius spreto regni alieni sceptro in patriam redditurum, quam sub illud à se suscipiendum conditione aliquâ cum Sueciæ detimento conjunctâ.

Cum igitur jam Princeps Sigismundus discessurus esset, antequam parenti valedixerat, præfens regni Senatus considerans, quod electio nunc regno, & postea hæreditario potitus, nimium potens, hinc fortassis redderetur insolentior, meritò propterea censuit sibi & regno tempestivè providendum, patri itaque persuadebat ut Suecis cavendum à filio curaret obligatione, ab utroque subnotatâ, sigillisque munitâ. Igitur pondet Sigismundus V. die Septembri, primū quoad Ecclesiastica, quod

quod cum Sueciam aliquando inviseret, non plures secum Catholicos foret sacerdotes adducturus, quam in sua haec tenus aula habuisset; Nec solito majorem ipsis exercendae religionis permissurus esset licentiam. Quod Sueonibus Augustanæ Confessionis sibi in Polonia servientibus, ibi religionis nomine non creanda esset molestia. Quod alterius quam usitatæ doctrinæ Suecos, nobiles seu ignobiles, ad nulla prorsus officia vel beneficia in regno Sueciæ promoturus. Quod sacerdotes Poloni vel Sueci, diversæ ab incolis doctrinæ, nihil contra eandem molituri; ut neque religionem & Ceremonias receptas, aut in conventibus Ordinum proximis recipiendas, permutaturi vel profanaturi. Quod Cœnobia & hospitalia parentis liberalitate haec tenus restaurata, vel deinceps instauranda, in suo relicturus vigore atque flore, secundum tamen universalem patriæ religionem; Excepto Valtensium Monasterio, ubi Cœnobitis Catholicum permissurus Sacerdotem, qui poscentibus etiam sub utraque specie Sacramentum porrigeret, & fundos illis deputatos, reditusque alios non revocaturus. Quod peregrini dogmatis sectatoribus, in publicis vel privatis ædibus, Religionis non concessurus exercitium, nisi ex speciali quadam gratiâ, certis ob graves causas personis foret indulatum. Quod Sacerdotes huc secum adductos, in Poloniæ remeans, hinc reducturus, qui nullis hic negotiis se immiscerent, nec ulla obtinerent officia, ut neque Scholis præficerentur, aut convitiis aliquos proscinderent, hæreseos arguendo: Quod non licitum foret Pontifici Romano Archiepiscopum vel Episcopum regno Sueciæ obtrudere, sicut neque Calendarium Gregorianum.

Deinde quoad Politica Regni Suecici negotia, in eodem constitutum fuit diplomate, ut non liceret Principi Sigismundo Sueciæ provincias abalienare. Ut fœdus inter Suecos & Polonus in hostium quoslibet, & præcipue Moschum pangeretur, & cum ipso nec bellum nec pax suscipiarentur, alterâ partium inconsultâ. In patriæ regimen parente vivo se non ingereret. Uxorem pro libitu sibi duceret, dotemque propter nuptias ex utroque regno caperet. Ut bona fororis, parente & ipsa nescientibus, & non consentientibus, nullatenus alienaret. Dominium Sueciæ & Poloniæ simul adeptus, æquali honore & amore utrumque prosequeretur. Ut alternis vicibus, vel tertio quoque Sueciam anno inviseret, hic degens pro se & suis necessariam habiturus sustentationem, hincque discedens, provisionem, donec limites attigisset Poloniæ, unde naves, tormenta, vel alia viæ necessaria secum traducta, hoc remissurus: Quæ redditum in Sueciam deinceps paranti, præsto ibidem futura essent, cum solito commeatu. Ut Regni gubernaculum per Nobiliores patriæ Proceres; quorum unus à patruo deputandus, absens moderaretur: Secum verò in Polonia haberet Cancellarium, Consiliarium & Secretarium, qui causis non se ingererent Polonicis, ut nec Poloni Suecicis. Cum linguae diversitas Latinam requireret, nobiles aliquot juvenes & binos ex qualibet regni Episcopâ plebejos ingenii melioris, in liberalibus curaret artibus suo sumptu tales informari. Ut in absentia Regis nullæ imponerentur contributiones, & regni proventus censusque consueti fideliter collecti, ad Regium usque conservarentur redditum, nec Regno exportarentur, nisi pro nuptiis Regis vel liberorum; Sed nullatenus Regalia insignia, ut neque peristromata regni, vel documenta, aut libri rationum, vel thesaurus ullus. Ut nulla extra Regnum constitutus Sueciæ negotia cum Principibus tractaret exteris, Senatu Sueonum inconsulto. Ut controversiae omnes, etiam criminales in regno & domi deciderentur. Ut exercitui Regni Sueones præficerentur regen-

dō , & capta retineret capiens , nec citra stipendium nostrates in Poloniā subsidio evocati sociis militarent. Ut commorante in Suecia Rege , titulus , Sueticaque præponerentur insignia Polonicis ; sicut etiā personæ in literis & congressibus. Ab Upsalensi Archiepiscopo , non peregrinæ religionis Antifite , indigena vel alienigena Rex coronaretur. Ut primogenitus Regis filius Suetico potiretur throno , & reliquorum adhuc uni hīc etiā provideretur. Ut Regis filiæ in Suecia genitæ centum millia thalerorum loco dōtis numerarentur ; In Polonia verò natæ, tantum ex Suecia , quantum ex Polonia tribueretur. Denique si à promissionum executione Pontificis licentiâ discederet , Sueonum quoque destitueretur obedientiâ.

Hanc porrò obligationem Señatores ideo condidisse , & Principi abituriēti obtrusisse obsignandam , atque tam periculosa illi profectiō nem eo fine suassisse , posteā sunt accusati , ut , cūm Rex Johannes aliū non haberet filium Regni hāredem , neque Dux Carolus quemquam , parente mortuo Principē Sigismundum regno excluderent ; vel certe ubi adeptus fuisse Patriæ gubernaculum , ex præfatis caperent articulis occasionem non difficulter illum hinc exturbandi ; Carolus modò diem in primis obivisset supremum. Eam tamen conjecturam , quam ipsius assertores ex quadam Erici Sparrii ad Comitem Petrum Epistolā , sicut etiā aliis non paucis constare argumentis asseverant ; Ego nec improbans nec approbans , hoc duntaxat affirmo , quod omnibus constet , nempè Sturios & horum cognatōs , agnatos , generos & affines , hujusmodi factionis sub Gustavo , Erico , Johanne , Sigismundo & Carolo Sueciæ Regibus , identidem suspectos fuisse : velut etiā profectionem Regis Sigismundi Polonicam . Sueonibus funestam certe extitisse , quemadmodū sequens testabitur Historia , & in sua Typotius quoque non inficiatur , hisce quidem verbis : *Hinc incendium quo Suecia flagrat , & Polonia hactenus aduritur.*

Verū sic erat in fatis , quæ nemo poterit evitare , proptereaque modo Princeps Sigismundus non ultra sollicitus , XII. Septembris , cum Anna forore , materteram primò invisura ; Erico Sparrio ; Gustavo Banerio ; Thurone Bielchio ; & Legato Polonorū Lisnovolsio , instructissimam ornatissimamque XXIV. navium concēdēns classēm , navigat Dantiscum. Atque post sextum illuc delatus diem , & honorificè à Senatu in Ostio Vistulæ salutatus , & in oppidum velut proprium invitatus , renuit , donec ibi prius cum Polonis transegisset ; Paulò tamen post cum minoribus solum in portum secessit naviis , horrendā compulsiō tempestate , & ibi octiduo permanſit integro. Interim XXI. Septembris , Poloni splendido admodū comitatu Suecum accedentes , prolixā oratione per Episcopum habitā Vratislavensem , ipsius gratulantur adventui , & simul meritis Jagellonum in rem publicam Polonam exaggeratis , magnifice profantur , se illorum intuitu Principem Sigismundum inde oriundum potius quam alios competitores Regem elegisse , demumque hortantur , ut procedere dignaretur ad propinquum Olivæ Cœnobium , de his porrò rebus deliberatum , & decreta ratificatum.

Latiali etiā Princeps sermone , minus tamen prolixo , respondebit , grata sibi Jagellonum velut majorum encomia fuisse , & cūm horum gratiā foret aliis prælatus Candidatis , se facturum , ut beneficii non illos ceperit pœnitudo ; Ante verò plenam negotii cum ipsis transactionem , aliquo , relictis navibus , non se processurum. Ita Legati Principi Sigismundo valedixerunt , & postridiè reversi , se negotio ac-

cinixerunt concludendo , Antistesque Primisliensium , Vicecancellarius Poloniæ Oratorem agens , invitat Principem ad satisfaciendum pacto , cum Sueticis Varsaviæ Legatis convento , & ut gressum in Poloniæ maturet , quod ita flagitaret Regni ac Regis necessitas utilitasque . Quapropter Princeps ex Procerum consilio Sueticorum super pactis hac se declarat ratione ; Velle sibi liberum quandoque Patrem & Patriam invi- sere : Deinde nonnullos ut retineret sibi Suecos servitores : Estoniam vero nullatenus sibi licere ut abalienaret Poloniæ incorporando .

Prioribus igitur duobus non ægrè concessis , tertium Poloni vehementer urgentes , asserunt Legatos Sueciæ his usos Varsaviæ nuper verbis in sua oratione ; *Vestra erit Estonia* : Ideoque promissis standum . Quod postquam tandem atque tandem ursissent , cum repulsa hospitium repetiverunt . Posterò autem die , qui fuit XXIII. Septembris , acrius multò instabant , contendentes inter alia novum Regem principio sui regiminis pacta transgrediendo conventa , Ordinibus Poloniæ occasionem præbere de se minus laudabiliter ominandi ; sicut etiam cavillandi , quod Regnum potius augustum , quam ditionem vellet angustam amittere . Princeps Sigismundus his tamen non motus , probat minus honestum esse , cum detimento hæreditarii , regno gratificari electio , ac nefando maculari perjurio ; Siquidem Patriæ jurejurando promisisset , se Estoniam nullatenus abalienaturum . Atque ut se pacti violati nulli merito accusarent , illud arbitrio illorum permittit , ut Estoniam non adepti , vadimonia Reginæ Annæ starent , quod paratus foret ipsis ratificare ; Alias sibi decretum , infecto negotio domum potius remeare , quam ut cum tanto Patriæ , animaque detimento perjuret .

Nihilo minus tamen Legati responso non acquiescentes , postridie actionem instaurant , & diu , multumque cum Rege , hujusque disputant frustra Consiliariis . Tandem ergo se nihil prorsus impetrare animad- vertentes , & licitam sibi per Ordines non aliam limitationem haud ignorantes , in id consentiunt , ut Candidatus reliquis subscriberet pactis , de Livoniâ vero suam inferret protestationem . Sic prima subsedit aliquantulum contentionum tempestas , & sub bidui malacia Olivensis adorna- tur profectio . Interim Princeps non parùm demiratus fastum Polono- rum & luxum in vestitu nimium , cumque nulos non illorum Attalicis induitos vestibus vidisset , sciscitatus est in pompa propediem quis futu- rus sibi amictus ? A Proceribus Suecis obtinet consilium , ut ipsem et holosericâ nigri coloris veste contentus , servitores vero aureo vesti- ret stamine ; Ille suasoribus obtemperans , Polonos rubore suffudit .

Cæterum M. Abrahamus , Hamburgi exulans hactenus , quem abitus Principis Sigismundi rebus in Patria Catholicorum faventis , cura priori non parum levavit , Forum Adiaphororum contra Philoliturgos in Sueciâ præcipue adornatum , ex variis scriptorum libellis Evangelicorum exilio tempore collectum , Vitebergæ XXIV. Septembris publicat , & Episco- pis regni dedicat . Quo tempore M. Andreas Sueciæ Archiepiscopus & Liturgicorum primarius , non sibi diutiù silentium sed decere statuens , patrocinium Liturgiæ suscipit , & binis respondendo simul libellis famo- sis , quorum uno ante quadriennium , & alterò ante biennium fuerat male tractatus , apologiam elaborat . In qua potissimum nititur demon- strare , quod Liturgia , & nova Ordinatio , omnium recte sentientium calculo , cum Propheticis & Apostolicis convenienter scripturis , primi- tivæque essent Ecclesiæ dogmatibus ac ritibus omnino conformes , & pro- inde à moderna Romanorum doctrina Pontificum quoad formam dif- ferre .

ferre. Itud verò nactus apogema M. Abrahamus, suum de illo iudicium anno sequenti satyricum edidit. Et propterea Rex Johannes magis solito in authorem, librosque plenis in Sueciam doliis apportatos exacerbatus, hos tradi quoslibet mandavit Vulcano.

Cæterum Islandia mihi vellicans aurem suggesterit, quod hunc usq; seculi currentis annum veteri asyla privilegio immunitatis illic gavisa, ipso nunc fuerit viduata, & omnis hujusmodi Ecclesiarum libertas prorsus abrogata.

Apparata porrò hactenus magnifica Olivensis profectio, XXVII. Septembris tandem instituitur, & Principe Sigismundo illuc perveniente, Cœnobique basilicam ingrediente, Curaviensis Sacrum inchoat solenniter. Quandò autem Princeps aram fuit accessurus, ut juramentum deponeret Regale, sicut etiàm quandò illud deponebat, semper illam repetivit canticum : *Salvâ mibi protestatione de Livonia parte quam Sueci tenent, Corone Polonica non cedenda.* Solennitate deinde peractâ, convivio indulgetur, & postridiè ad classem inde revertitur; vesperique ad Modlavæ pontem navi subiectus Princeps, horrendum ex tormentis æneis majoribus tonante, civitatem ingreditur. Sequens verò dies, Divo fuit Michaeli Archangelo sacer, quo illucente, oblatam diplomaticis formam, quâ cuperent Poloni ut suum confirmaret Princeps Sigismundus iuramentum Olivæ nuper præstitum, constanter repudiavit, quòd in illa non fieret mentio protestationis de Estonia Polonis non concedenda sæpius factæ, nec priùs voluntati Legatorum, quâm suæ foret satisfactum, æquitatique, se accommodavit. Quandoquidem igitur non aliud modò refiduum esset, quam ut decretum electionis Principi traderetur, ipsum Calendis Octobris in Ecclesia urbis Dominicana quâ conveniens erat solennitate illi præsentarunt.

Cæterum interea Maximilianus cum suis fautoribus, exercituque grandi, Poloniam ingressus, hanc armis subjugare, ac æmulum Sigismundum inde profligare, meditatur. Et licet Rex istam non ignoraret molitionem, tamen X. Octobris, Dantisco Cracoviam versus animose contendit; Quam eodem impugnans tempore Maximilianus, literis obviā Sigismundo missis, ipsum hortatur, nè sceptrum minus legitime delatum affectare præsumeret, sed potius in Sueciam rediret. Hancque nactus Petricoviæ Epistolam, VII. Novembris rescripsit, & recitatâ Electionis historiâ, tam suâ hujus, probavit se multò æquioribus ac illum fretum causis, ad thronum aspirare Polonicum, & modò Cracoviam properare, ut insignia regni capesseret; Ideoque dissuasit adversario, ut saluti suæ cōsulens, ex Polonia quantociùs remearet. Non tamen ausus Rex progredi, quòd ab hostibus itinera passim infestarentur, Petricoviæ aliquot substitit diebus, & ibi milite turmatim ex vicinis confluente Palatinatibus, adhuc necessario potitus, instituit profectiōnē.

Quo Maximilianus tempore totis incumbens viribus Cracoviæ expugnationi, à Johanne Samoscio, fortiter oppidum defendantे, ac demum in hostes erumpente, profligatur. Qui propterea belli machinis, & milite non paucoprivatus, cum reliquis secessit copiis in Silesiam, ut inde cum grandioribus in Poloniam reversus, regnum occuparet fugitivum. Interim verò Sigismundus iter suum emensus XXIX. Novembris cum triumpho Cracoviam ingreditur, ibique post octiduum instaurato de Livonia certamine, gravius solito propter Estoniam Polonis negatam, impugnat. Etenim VIII. Decembris, Senatus Poloniæ Sigismundum, Confiliariis destitutum Stueticis velut dissuasoribus, compellans, promis-

promissum de Estonia regno incorporanda urget vehementissime, ac quamvis juveni non deerant Principi rationes, quibus ora obstruebat adversariorum, his tamen non acquiescunt, affirmantes inauguratio- nis solennia non processura, nisi pacto convento in primis satisfaceret. Quibus occurrentis Rex, demonstrat pactis cautum esse, quod Estonia denegata, vadimonium teneretur materterae solum robore, idque cum non recusaret, Ordines nullo jure propterea coronationem prorogare.

Cancellarius deinde XI Decembris primo Regem privato aggressus colloquio, & mox in praesentia frequentiaque Ordinum publico, impudenter magis quam prudenter causam egit Estonicam, adeo ut Ordines ipsimet nimiâ illius offensi contumaciâ, Samoscium postea reprehenderunt. Eò siquidem progressus fuit audaciæ, ut in hanc non formidaret sententiam perorare, videlicet : *Cum Sveones veteri Romanorum more per Legatos fraudulenter in Estonia negotio egissent, à suoque candore ac honore discessissent, notam illos perfidie & perjurii simul incurrisse, Legatosque ut tradant Polonis vinciendo & plectendo, esse obligatos.* Verum illi responsum, quod talis infamiae labecula iis Polonorum potius foret aspergenda, qui pactum falsarent; id perperam explicarent; & absolute postularent, quod hypotheticè promissum esset, insontesque destinarent carceribus Oratores. Hinc vicissim commotus Cancellarius, querit num pateretur Sigismundus, ut Ordines ad aliam propterea descenderent electionem? Nec inde Rex percussus, protestatur se nullam hujus causam Polonis dedisse, cum juxta pacti vigorem, omissa Estonia, vadimonium materterae foret paratus ipsis confirmare, & nihilominus se potius velle regno carere, quam diutiùs adeo impudentes tolerare insultationes. Non futurum unquam ut contra conscientiam quidquam abalienare, perjurioque se turpiter commaculare; Neque aliud expectarent responsum. Et ita folio descendens, in suum abiit conclave.

Postero autem die Ordines, contumaciæ pœnitentes, missa ad Regem Andreâ Opalinio Regni Archimarschalco, ipsum placant, & ita cum illo post varias convenientia actiones super Estonia, ut haec duntaxat verborum cautela regio juramento & obligationis diplomatibus infereretur : *Quod attinet ad conditionem de ea parte Livonie, quam Serenissimus Sueciæ Rex, parens noster charissimus nunc possidet, ita inter nos & Ordines Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lituanie, conventum est, ut hoc negotium integrum differatur ad id tempus, cum Regnum nostrum Sveciæ, successione ad nos devolvatur.*

Hanc laboriosa Estoniae controversia pro tempore fuit catastrophæ fortita, categorice non facta Estoniae abalienatione, neque à Sigismundo materteræ subscriptum fuit cautioni. Postea vero Poloni solennia coronationis apparant, & ipsis imminentibus Rex subveritus, ne in illis forma juramenti contraria protestationi forsitan fibi proponeretur, à Procancellario exemplar flagitat juramenti; Quo diligenter inspecto, nova oritur discordia propter quandam verborum ambiguitatem, mox tamen intermoritur, perplexis clarius explicatis.

Quamobrem ubi dies inaugurationi condicetus, qui fuit juxta veterem suppeditandi modum XVII, ast juxta novum XXVII. Decembris, illuxisset, Sigismundus in basilicam acropolis magnifice admodum perductus, à Gnesnensi Archiepiscopo Coronâ Regni fuit solennissime insignitus. Secundum porrò inaugurationis festivitatem gubernaculo manum admovens, serio literis hortatur Cæarem, ut Maximiliano fratri quantocius dissuaderet Poloniae infestationem. Et cum nihil illis proficeret,

ficeret , hostem statuit insolentiorum armis compescendum. Ità finitum in Polonia interregnum , & mœstitia Romani Præsulis , teste Jona Mel-dorpensi , ex morte Regis Stephani concepta , finem sortita. Ille si quidem in suo præfato libello commemorat , Sixtūn V. magnoperè gavisum Sigismundi apud Polonos electione , quòd per ipsum , quandò simul etiā Sueciæ Regno esset potitus , certo confideret certius non Russiam modò , sed pariter quoque Daniam & Norvegiam illi subjiciendas , Romanæque restituendas Ecclesiæ. Verùm nisi adderet Sixtum proptereà omni conatu promovisse Sigismundi electionem ; Et huic illum vice versâ maximè contrarium ego scirem fuisse ; crederem authoris narrationi. Proinde cùm in eo plurimùm hallucinetur , mendosum & famosum illius judico libellum , qui nullam hac de causa fidem mereatur.

Anno MDLXXXVIII. XIII. Januarii , Cancellarius Poloniæ Johannes Samoscius , Regis auspicio Sigismundi , congressus Maximiliano , victoriam reportat , & captum in oppido Silesiæ Bitsinensi Archiducem , mandato Regis , insolitâ ob hunc successum lætitia neutiquam exilientis , sed quem anteà gravem & tranquillum vultum retinentis , ad Crasnislavam Russiæ arcem , cùm præsidio custodiendum , ablegat. Proceres autem Sueciæ , qui Regem Sigismundum in Poloniam dederant , magnoperè subveriti , nè in Patriam reversi , propter Estoniam , quòd ea Polonis videretur quodammodo promissa , disgratiā incurrerent , hujus nomine literas à Rege flagitant. Qui non iniquam censens postulationem , XX. Januarii illas ejusmodi tenoris concedit : Quod eâ intentione , causam Estoniae ad illud usque tempus , quo secundum parentis mortem Regno Sueciæ potiretur , nullus prorogarit , ac si tūm Poloniæ illam esset incorporaturus ; Quandoquidem secius multo cogitaret , & nullo unquam tempore decerneret , patriæ damnum quodquam Estoniâ abalienandâ inferre. Atque proptereà ut vario hujusmodi metu indigenas Svecos , & seipsum odiosâ liberaret suspicione , se fide præsentium literarum promittere , quòd Polonorum votis , nunquam esset in re tali consensurus : permittens quibuslibet Estoniae moderatoribus , defensoribusque , ut si quidpiam fecus ipsis mandaret , à Polonorum importunitate compulsus , nullatenus obtemperarent. Se enim dubiâ illâ verborum formâ in decreto transactionis proptereà usum , ut tædiosâ Polonorum disputatione liberaretur , & iidem posteà in comitiis futuris pari aliquando illi non forent molestiæ.

Quamquam verò similibus hoc tempore literis se parenti etiā excusaret Rex Sigismundus , tamen Rex Johannes illam super Estonia clausulam habens magnoperè suspectam , de ipsa cum filio vehementer expostulavit ; Sicut etiā quòd ante solennia inaugurationis , sigillum regni non mutasset , & in eo insignia Patriæ decenter non collocasset. Hæc & cætera Rex Johannes ex castro scripserat Calmarnensi , quo adhuc morabatur proptereà , ut illic velut loco propinquiore , sæpius & citius de filii statu informaretur : Quando simul conjugis sorores , prænobilibus viris , Claudio Bielche , Senatorum uni ; & Stenoni Rosæ , Comiti à Bogesund , elocaverat , nuptiis illarum ibi loci celebratis. Prætereà confessionem ibidem Cleri nactus Carolini , quâ Liturgiam prorsus damnaret , gravissimâ acceditur indignatione , adeò ut quaqua versum edictis per Regnum severissimis , illum universum , hæreseos , seditionis , factionis , rebellionis & perduellionis accusaret , Dæmonisque appellaret discipulos , ac proscriptum iri minaretur , publicâ privandum secu-

securitate , & eâ nullâ gavisurum , donec culpam agnosca ns , veniam supplex obtinuisset.

Hujusmodi porrò tumultibus crebram fertur M. Abrahamus præbuisse ansam literis & libris occulte in Sueciam transmissis. Et proptereà religionis Conservatores (erat is titulus certo collegio) factiōnibus posituri obstaculum , permisso Regis hactenū sæpenumero M. Abrahamum in Patriam sub his revocarunt conditionibus, videlicet ut confiteretur , se nullâ compulsum necessitate , patriam exilio commutasse ; non deprecaretur contumaciam multis perniciosa m ; Et si munere vellet fungi aliquo docendi , Liturgico se accommodaret dogmati ; vel privatam in Patria ut ageret vitam , licitum ipsi fore , honestum naturo salario , in fidei negotio ageret modò silentium. Verū renuit omnia , & hujus principio anni factus solito audacior , libro Calendis Februariis Hamburgi impresso , in Liturgiam & hujus sectatores propugnatoresque vehementer invehitur ; In quo complexus fuit vitam socii M. Laurentii , olim Archiepiscopi Upsalensis , & hujus oppositum. Herbesto antigramma ; Deinde negotii Historiam Liturgici ; & suæ apologiam fugæ. Istius libri exemplaria quotquot Rex Johannes consequitur , flammis , ut etiā prioribus ejus operibus evenerat , abolenda curavit.

Interim Clerus in Ducatu Regiâ commotus proscriptione , in Martio frequens Oerebrogiæ congregatur : Ubi per literas à Carolo Duce sciscitatur , quandoquidem citra culpam aliquam proscriptus , insons gravium insimularetur criminum toto Sueciæ Regno , numquid consultum suæ videretur Celsitudini , ut scripto supplici apud Regiam Majestatem Ordinesque Regni Ecclesiasticos & Politicos , suam demonstraret innocentiam : Deinde si unum vel alterum de presbyterio Ducatus , citari peremptoriè ad Regium tribunal contingeret , vel Liturgiæ causâ foret captivandus , quid consilii casu necessitatis capiendum , & quid opis à Sua Celsitudine Clerus expectaret ? Synodo cum benigne Dux respondisset , congregati se Calendis Aprilis apud Regem literis excusant ; imputata crimina confutant ; Liturgiam recusant ; & ad verbum Dei , Confessionem Augustanam , & D. Lutheri Catechismum provocant ; demumque obsecrant , ut proscriptionis revocaret Rex sententiam. Eadem fermè Regni quoque Senatoribus perscribunt , atque pertinent nē adversus conscientiæ dictamen quodpiam suscipere dogma compellerentur : Tandem Episcopos Regni & Clerum universum , in non aliam sententiam , per literas compellant , Regem sui odio longè vehementiori inflamarunt !

Verum Clerus in Ducatu , certo sui Principis auxilio confidebat ; Et hinc , sicut etiā ob conditiones transactionis Vastenensis minus Duci tolerabiles , flamma discordiæ inter Regem Johannem & Ducem Carolum , tenui nuper favilla perfunctoriè concreta , cœpit primò leviter emicare , & deinceps in tantum flagrare , ut suis Rex subveritus partibus , filium subsidio in patriam revocandum cœpit meditari , prout posthac memorabitur. Nunc verò Friderico Danorum Regi parentandum. Is etenim IV. Aprilis die , anno Regni XXIX. ætatis autem LIV. Antverschoviæ in Sielandia morti vicinus , Christiano tradidit filio undenni gubernaculum , per tutores regendum. Mortui corpus tumulo Roschildiæ avito , V. Junii , quā par erat solennitate illatum fuit. Eodem quoque tempore funus Regis Stephani Grodnâ Cracoviam translatum , in acropolitanâ Ecclesia paucos post dies sepelitur.

Cæterum mense Aprili, expostulatorias, quarum meminerimus, parentis literas Rex Sigismundus adeptus, Calendis Maij rescripsit, & quoad Estoniam, eodem se modo quo prius excusavit, insuper addens, se Polonis in faciem sæpius dixisse, quod vellet potius sceptro renunciare Polonico, quam vel unicam patriæ villulam, multò minus tantam provinciam, multo Sueonum sanguine partam, abalienare. Ad insignia vero quod attineret, per temporis brevitatem ante coronationem, illa non licuisse sibi mutare; Sed imposterum sic immutanda, ut avitum familiæ stemma centrum occuparet, Sueticis circumdatum insignibus, & hæc in circuitu ambirent Poloniae. Quædam tandem secreta, se præsentium latori, & suo servitori Erico Bielchio concredidisse asseverat, parenti fideliter referenda. Horum ego potissimum fuisse arbitror, quod Polonicæ pertæsus arrogantiæ, prout fatetur Jacobus Typotius, reditum in Patriam vehementius anhelaret, atque thronum ideo Poloniae, unà cum germana sorore sua Ernesto Archiduci despondere, quemadmodum author idem non obscurè innuit, deliberaret.

Clerus porro in Suecia Carolinus finitâ, ut diximus, Oerebrogensi synodo, suam apud presbyterium Regium excusaturus contumaciam, Upsalensium in primis Patribus, velut primariis, & suis potissimum in Liturgiæ negotio adversariis, censuit perscribendum. Huc proinde XVI. Maij literis directis, simul cum libello confessionis, graviter incusat illos Upsaliæ Philoliturgos, quod cum Liturgia, quibusunque tandem pigmentis ipsam ornarent, foret omnino Pontificiana & Antichristiana, & propterea Divinis nequaquam testimoniiis quæ posset propugnari, ut neque confessio huic contraria refutari, brachium implorent ipsi seculare, Regem instigantes Serenissimum, ut insontes, purumque Dei verbum docentes prosciberet. Sed vindictam adversarii, formidarent Divinam, quæ hujusmodi scelus haud relicturus esset inultum.

Upsalenses hanc nacti expostulationem, XVIII. Maij post biduum non mitius rescribunt, asseruntque se præter meritum & culpam tot criminum insimulari, & tot convitiis modo velut alias sæpenumerò, è Ducatu chartis nimium dentatis aculeatisque lacerari; Nihilominus non tantoperè hanc demirari licentiam convitiandi & calumniandi, quantoperè quod eò impudentiæ descendat ministerium Ducatus, ut maledicas in Divinam, & humanam, non subhorresceret linguas stringere Majestates; Quibus illorum blasphemis & imposturis, sicut etiam Confessioni arroganti, conveniens aliquando daturi essent responsum; Modò autem transmittere se illis confutationem pasquilli, quem annis prioribus primùm Latinè, poste à Suetice, pro sua immodestia clanculum sparsisset.

Acceperat Rex Sigismundus parentis Regis Johannis literas, in quibus ille lacrymosè suam detestatus fuit imprudentiam, quod filium citra necessitatem ex regno emississet unicum, Polonis tantummodo, prout jam reciseret, tribulandum; Qui hostium insidiis & multis periculis esset ibi prætereà expositus; Cum bellè & securus is domi vivere potuisset, & quo ipsem parens tantum in patria indigeret, quantum aurâ fermè quotidianâ. Hisce Sigismundus XXIII. Junii respondit; Et ut patrem doloribus tabescerentem consolaretur, inter alia non pauca mero-ris lenimenta, miram Dei providentiam exaggerat, confidenter asserens, quod cum Deus, in cuius manu Regum essent corda, se contra totius propemodum orbis machinationes, immò contra suam propriam voluntatem, ad Polonicum sublimasset fastigium; Idem idem Deus foret illum pro clementia & bonitate potenter imposterum etiam à quibuslibet protecu-

tectorus discriminibus. Non tamen acquiescebat Rex Johannes, sed filium omnino in patriam statuens revocare, quod in ea civile glisceret incendium, inchoatae hoc super negotio sedulam dat operam molitioni.

Interim Clerus in Ducatu, Upsalensium literis plurimum offensus, acerbiores illis remittit; & Rex Johannes fratribus instinctu, Misoliturgos nunc solito magis insolescere arbitratus, conspirationemque subveritus, novum fidelitatis juramentum a suo acceptat Ministerio: In quo se firmiter obligat, quod inhabitoribus Sudermanniae, Nericiæ, Vermelandiæ, Vasbogiæ ac Vallæ Regi molientibus rebellionem, nullatenus esset adhæsurum, vel auxiliaturum; Sed potius Carolinis omni conatu adversaturum, quod Deo & hujus sacrosancto verbo sanè & recte intellecto, reluctari non erubescerent, venerandasque Liturgiæ Ceremonias, ex primitiva desumptas Ecclesia religiosissimas, calumniari non desisterent; Quas se iterum approbare, citra ullum conscientiae scrupulum, scripto profitetur. Clerus quoque Stocholmensis VII. Julii, afferendam spondit obligationem, excepto M. Erico Schepperio, qui accedens Misoliturgis, se parocho in absentia Regis graviter opposuit, & multos in oppido commovit tumultus. Hos Rex Johannes post suum redditum intelligens, vocatum ad se Schepperum, vehementer propterea increpat. Qui cum nihil non Regi obloquitur, illum in terra prostratum pedibus calcat, illud ingeminando Psalmographi: *Super aspidem & basiliscum ambulabis.*

Memini porrò me antehac nonnullam fecisse mentionem Gustavi Erici Rege Catharinâque geniti; Illa nunc iterum recurrit. Atque compario, hunc, cognito Regis Sigismundi patruelis in Poloniam adventu, Cracoviam (ex Prussia vel Lithuania nondum mihi omnino constat) habitu mendicum simulantem, nè proditus ibi periclitaretur, pervenisse. Dedit soror ejus germana Sigridis nomine tunc temporis in gynecæo Principis Annæ, quæ illum inter mendicos die quadam conspicata, ignoraverit licet fratrem esse, præsagis tamē eidem quid animus. Nec Gustavus sororem agnovit; Quandoquidem vero jam anteā resciverat in regia ipsam aula versari, nuncio clām submissō se prodidit, & colloquium illius petivit. Convenerunt igitur sine arbitris; Atque post mutuos amplexus & lacrymas ad invicem profusas, exponit Sigridi Gustavus totam haetenus transactæ vitæ seriem. Illi pro rerum statu præsenti suppeditat soror consilium. Nonnullum quoque a patruebus Sigismundo & Annâ impetrat subsidium. Postmodum patruus Rex Johannes intelligens Gustavum ibi loci vivere, datis ad filium literis etiam ille intercedit, prout quorundam relatione constat, ut ad munus Ecclesiasticum quoddam nepotem ex fratre promoveret; hinc patruei innoxium futurum.

Verū Gustavus insidias subveritus, suasu & sumptibus sororis Pragam secessit occultus: Ubi instar cognati, & tanquam potentissimi quondam Regis filius, a Rudolpho Cæsare clementer admodum suscepitus est. Interim quando in aula versatur Imperatoria, alchimiaæ sedulam havendo operam, cognitionem illius insignem acquirit. Sed alias prædictus cerebro minùs fano, cùm sentiret ex arte Chimica morbi augmentum, studio hujus posthabito, cum licentia & viatico Imperatoris Pragâ abit in Belgium, animo recreando, & ut Gubernatorem consuleret quid ère sua futurum; In itinere passim benevolentiam expertus, Coloniæ cùm appropinquet, Gubernatorem obiisse intelligit. Ideo Viennam redit; & inde in Turcam militaturus, paulò post in Ungariam pergit. Quod ægrè ferens Gustavi consilium Cæsar Rudolphus ipsum revocat Pragam, ibique posteā minùs liberaliter sustentatus, tantum ex arte chimica pecuniaæ

concessit , quantum sibi & famulitio pro liberaliore sufficeret sustentatione. Hinc pristina capit is ægritudo recurrit , cui medendo opportunum ipsi contigit Silesiæ quoddam Monasterium ; Abbate nullo non commiserationis genere illum tempore morbi prosequente. Agnovit Gustavus affectum viri pii , & quoad vixerat ubi benefactoris facienda erat mentio , nunquam alio nomine quam secundi patris ejus fuit recordatus. Verum à diverticulo ad intermissa redeamus. Mense Julio hujus anni orta primum pestis Stocholmiæ , in utrumque sexum & nullam non ætatem grassata , per reliquum Sueciæ regnum hinc se diffudit.

Anno M DL XXXIX. instante termino induciarum Suecos & Muscovitas inter , Rex Johannes hoc super negotio Ordines Regni tempestivè consulturus , ipsos Upsaliæ convocat , ubi pro tempore metu pestis commorabatur. Istâ Regis præsentia Clerus Upsalensis animatus , Carolinorum objectionibus audacter XIII. Januarii respondet , officere demonstrans non tam suæ quam Regis existimationi , quod adversarii non veriti essent asseverare latere fraudulenter sub specioso Liturgiæ nomine ipsum Antichristi dogma Ecclesiæ Suecanæ obtrudendum. Impudentem hanc esse calumniam ! Liturgiam enim præ se ferre ideam veteris Ecclesiæ , & pietatis cujusdam mellificii instar esse. Neque ignorari quis summus patronus , amator & promotor audiret. Qui Liturgia Antichristianismi traductâ , quid nisi mancipium unâ Antichristi cavigaretur ; Princeps verè Christianissimus ? Illam consequentiam Misoliturgi nequaquam elusuros. Improbis igitur si non agnoscerent errorem , instare justè & meritò pœnam læsæ Majestatis tam Divinæ quam humanæ. Verum precari se adversariis mentem sanam , & animum Regi supplicem ; Sicut etiam ut recipiscerent quoad id , quod se viros innoxios & Regi morigeros , hypocritas , apostatas & Antichristi discipulos nuncupassent. Tandem addunt admonitionem , nè seditionis M. Abrahami libris seduci se diutiis permitterent. Quorum solida paratur refutatio , propediem edenda.

Erat Carolinorum promptum responsum , XXX. enim Januarii die regerunt Upsaliensibus : Non opus fuisse quod Majestatem Regiam immiscuerint controversiæ de Liturgia , illam quod repræhendissent ob incruenti patrocinium Sacrificii , & alios passim errores quos habet communes cum Romano Pontifice , quem Antichristi sentirent Carolini esse mancipium , non Regem Johannem ; Ac propterea debuisse potius adversarios confutare rationes Liturgico illorum oppositas idolo , quam aliund in invidiam recte sentientium turpitudinem causæ suæ palliare. Interim donec manifestis forent argumentis convicti , se Liturgiæ assentiri non posse ; Verum confessioni suæ factæ adhæsuros : Pœnam autem aliquam propterea si extimescerent ; esset id de Regis justitiâ & bonitate dubitare. Fuerunt hæc modesta : Regem tamen plurimum effearunt , qui cum de ipsis vindictam sumere non potuerat , in alios bilem effundit , Liturgiæ mastigas Regio subjectos dominio : Quocirca horum potissimum M. Ericus Schepperus , Upsaliam vocatus , male denuo vapulavit.

Hujus consobrinus quidam Martinus Stocholmiæ Sacellanus , Liturgiæ causam qui tueatur , officio & beneficio propter scelus quoddam fuit hoc tempore privatus. Enimvero licet propriam haberet uxorem , tamen scorto valde famoso habitu induito virili usus fuit , mentitus servitorem esse. Martinus ob hujusmodi flagitium albo Cleri postquam expunctus fuerat , artibus cœpit magicis dare operam , quas propter , sicut etiam alia non pauca sclera , deinceps sub Carolo Rege , capit is supplicium adivit.

Modò etiàm quidam Petrus Hål / mediocri comparatâ eruditione in transmarinis Jesuitarum Gymnasiis , sacerdotio illic initiatus mittitur in patriam , ut Cœnobitis concionaretur Västnenensibus . Sed accinctus itineri , breviarium in primis , seu librum horas continentem canonicas , deinde quoque reliquum codicum supellecilem pro vino & cerevisia in proximis diversoriis oppignoravit . Atque Västenum mari trajecto cùm pervenisset , Romanam Augustanâ permutat Confessionem , & functus fuit aliquandiu in Schola ibidem Hypodidascalii officio , multâ quidem cum laude . Intereà verò nimium quòd indulsisset helluationibus & vini potissimum cremati potationibus , horrendo animam spectaculo tandem exhalasse memoratur .

Ordinibus porrò Upsaliæ congregatis , Rex Johannes mense Februario declarat , inducias cum Moscho pactas termino esse proximas , & cùm hostis pacem nollet perpetuam , nisi provincias à nobis bello subactas pro iusto reciperet precio . Id verò nullatenus concedendum videretur , sed potius cum illo dimicandum , à Sueonibus belli subsidium gerendi flagitat . Nec repulsam passus Comitiis postea finem imponit , & arma Ruthenis inferenda disponit , nervo belli accurato . Upsaliæ tamen remanet , quòd uxor Gunila partui foret vicina , quæ proinde XVIII. Aprilis die , circa IX. vespertini temporis horam , filium enixa fuit ; Johannem in Baptismo nuncupatum , cui progressu temporis Ostrogothiæ cessit Ducatus .

Nihilominus verò filii Regis Sigismundi flagrans adhuc desiderio , & quòd à Polonis illum tribulari commiseraretur , & in Patria quòd maximè necessarius videretur , ob gliscentes iterum simultates se inter & fratrem . Rem igitur cum filio sic componit , Erico Bielche internuncio , ut facultate à Polonis impetratâ , se conveniret Revaliæ , & secùm indè in Sueciam abiret , amplius in Poloniā non redditurus . Hanc verò , prout testatur Jacobus Typotius , alibi etiàm citatus , Ernesto Archiduci cum Anna forore despondere voluit . Atqui erga Polonos prætextus erat itineris , ut Moscho persuaderetur in hujusmodi sè & parentem inter colloquio , convenisse de armis simul ipsi inferendis . Atque hinc ille territus , votis Suecorum & Polonorum annueret , & cum suo vel detrimento pacem susciperet .

Obtinet Sigismundus veniam ab Ordinibus Regni Poloniæ conveniendi parentis ; Priùs tamen quā discederet actioni de liberatione Maximiliani aliquandiu ventilatæ finem impositurus , Maijo illam mense ita conclusit , ut Archidux honestis conditionibus libertati fuerat restitutus . Vicissim Rex Johannes , literis per regnum promulgatis sui cum filio colloquii causam intimat , incolisque fidem facit , illud cum maximo patriæ futurum emolumento conjunctum ; propterea serio admonens , ut sibi absenti interim fideles permanerent . Ita rebus domi constitutis utrobique , se pater & filius profectioni accingunt ; Hic quidem palatinâ stipatus cohorte , & nonnullis Procerum , terrestri festinat itinere per Borussiam , Curlandiam & Livoniā , tardius Revaliam versus : Sed ille ornatissimā navium classe , cum uxore , filio nuper genito , Regni Senatu , & mediocri exercitu , XXIII. Julii solvens Stocholmiā , principio Augusti Revaliam appellit ; Ubi per oppidi plateas suis duntaxat auxilis comitatus , sine tympanorum & tubarum strepitu , modestè in acropolin ascendit . Gratissimus fuit Livonibus Regis adventus , quod eādem quā Sueones imbuti opinione , confiderent , tali Regum conventu Moschum ad pacem facilius adactum iri , si autem se contumacēm præberet , tantorum viribus Principum domari posse . Cæterū in Suecia post

Re-

Regis Johannis abitum, nobilissima, præstantissimaque Ducas Caroli conjunx, Maria, XXIX. Julii morte nimium immaturâ in castro Eschilstunensi occubuit, Stregnesiae XVII. Augusti die admodum honorificè tumulata.

Flagrantissimo autem exspectatus desiderio Rex Sigismundus, tandem XXVIII. Augusti, cum Anna sorore secum adducta Revaliam ingreditur, nec sermone vel disertissimo fari potest, quantâ benevolentia & amoris affluentia, ibi à parente suscipitur; Quo cum illic quatuor manserat septimanis, & interim remotis arbitris, de suo in Sueciam redditu quotidie feriam cum patre habet aliquandiu consultationem, & illum lubens consentit. Verum ut ipsi minus adversarentur utriusque gentis Proceres, coram his asseverat Rex Johannes, quod filium in Suecia duntaxat coronandum repeteret, unde quantocius à se in Poloniam remitteretur. Utrique tamen fraudis non ignari, se Regum opposuerunt molitionibus. Et Poloni quidem Henrici non immemores, quondam profugi, nè idem modò ipsis accideret dedecus magnopere advigilant, Regique suo inculcant factas sibi saepius promissiones & obligationes mutuas, unà quotidiè urgendo redditum in Poloniam.

Suetici etiā Consiliarii, suo non indormientes officio, cùm iis ad Reges non pateret aditus, XV. Septembbris, per libellum supplicem Regi Johanni transmissum suadent, ut in commodius differret tempus Regis Sigismundi reductionem, & interea successore amicorum aliquo ad Poloniæ sceptrum delecto per Legatos cum Polonis ageret, ut sibi curis & annis morbisque gravato, filium remitterent; Alias si ipsi animo esset nunc illum in patriam secum abducere, secutura certo certius cogaret detrimenta. Quippe præterquam quod Regis utriusque fama & conscientia, propter tot literarum & juramentorum prævaricationem, graviter ita periclitaretur, Poloni tanto etiā despectu inflammati, Moscho in Regem fortassis accepto, vel amicitia cum ipso renovata, fœdereque in nos pacto, gravissimi, & intolerabiles Suecis hostes evasuri essent: Patria verò bellis exhausta diuturnis, neque secura à domesticis tumultibus, ut etiā à Danorum molitionibus, adhac ære nimis obruta alieno, ut militi vetera non sufficeret solvere stipendia, nec limitaneis valeret providere munitionibus, multo minus bellum diutiū gerere, armis simul Polonicis & Ruthenicis impetita, esset omnino succubitura: Ingermannia, Carelia & Estonia, hostium cessuræ dominio: Reliqua in maximo periculo futura Finlandia: arces, oppida, illorumque armamenta, in hostium ventura potestatem: Atque his, velut etiā tot ubique munimentis nostratrum excitatis opere, in nostram usuri hostes perniciem: Regia simul Majestas insignium & titulorum passura jacturam; Liberis præterea Sigismundo & Annæ, quorumlibet in Polonia & Italia mobilium ac immobilium, post obitum materteræ præsertim ad illos devolvendorum, dispendia bonorum imminere: Varii creditores Regis Sigismundi ex Polonia & Prussia in Sueciam venturi, ac solutionem creditorum flagitaturi: Idem aulici Regis servitores facturi, quod his plurima restarent salario: Matertera calumniis obrueretur; & nisi his modò malis obviam Reges irent, posteà facti illos si pæniteret, nulla remedia serò intellecturos restare. Tandem in literis Deum testati, quod fido erga Reges & Patriam animo ista scripsissent, quodque libentiū Regem Sigismundum in Suecia, quam Polonia viderent, nisi præfatis terrentur incommodis; Contra quæ si præsentes Reges noscerent medelam, hanc ut se non celarent, obsecrantur: Ita plures sui propo-

siti

siti fautores habituri; Alias consultius ut illud mutarent, & dominari ratione affectui permitterent. Iste libello subscriperant hi Regni Senatores, Ericus Gustavius, Mauritius Sture, Claudius Achatius, Gustavus & Steno Banerii, Ericus Sparre, Christiernus Gabrielius, Mauritius Grip, Thuro Bielche ac Ericus Abrahamius, qui malam propterea mercedem postea reportarunt.

Animadvertisens porro Senatus oblatis non moveri Reges a proposito hujusmodi rationibus, Tribunos exercitus Sueticis callide instigarunt, ut depositis ad Regis conclave vexillis, juramento se obstringerent, quod si Rex Johannes filium, cum tanto patriae detimento, secum reduceret domum, pro salute Regis & Regni amplius non essent vitam periculis exposituri, in hostes militando. Quo etiam tempore Tartari & Turcae a Chosaeis irritati, Poloniae fines infestarunt, & missa simul legatione, expostularunt cum Polonis. Hinc Samoscius Regni Cancellarius domi qui remansit, commotus; velut quoque quod tam diuturnam Regis Sigismundi absentiam inciperet habere suspectam, missis in Livoniam actutum Legatis, Regem revocat. Ambo igitur tot vieti tandem rationibus, & molitionibus deterriti Reges, Johannes Sigismundusque, sententiam mutarunt, & filius tristissimo valedicens spectaculo, parentem semianimem mestissimus reliquit; Revaliæ porro discessit, XXX. Septembris, & per Rigam ac Regionem in Polonię regressus, vivum nunquam amplius parentem aspergit. Post abitum filii Rex Johannes animum paulisper colligens, & ad publica convertens, cum Moscho consultatum de pace vel induciis prorogandis, Commissarios alegat, Comitem Axelium, Claudiom Bielche, ac Christiernum Gabrielium: Qui colloquio cum Ruthenis instituto, solum bimestres obtinuerunt inducias, videlicet ad V. Januarii diem futuras.

Cupidissimus tamen pacis Moschovita obtulit eandem, modo argento liceret ipsi redimere a Suecis provincias amissas; Et propterea datis ad Regem Johannem denuò literis, hortatur ipsum, ut hujus rei faceret potestatem Commissariis ad proximum venturis conventum. Interea Rex Johannes Hogenschildi Bielche, sui in absentia vicarii naectus literas, quibus novæ Dux Carolus insimularetur factionis, initio brumæ, cum uxore, filio, & filia Anna, Senatorumque nonnullis, quantocius in Sueciam renavigavit: Quam verò tranquillam inveniens, iram omnem a fratre in ipsum Hogenschildum convertit, & factionis cœpit insimulare illum cum nonnullis aliis Senatorum, quod filium Revaliæ dissuasissent reducendum. Veterem pariter suspicionem renovans, eosdem Regni Consiliarios, ac praesertim Stratorum generos affinesque, quales erant Hogenschildius, Ericus Gustavius, Gustavus Banerius, & Thuro Bielche, accusat conspiracys, in Regiae interitum familiæ jam diu clanculum fabricatae; & quod propterea Regis Sigismundi profectionem suasissent in Polonię, & dissensionem cum fratre unico domi procurassent, ut filium facilius Regno excluderent, ipse met verò & frater Carolus prius se mutuis obruerent armis, sic factiosi thronum Regni commodius deinceps invaderent.

Itaque germano Stockholmiam vocato, reconciliatur, & consortem regiminis illum constituit. Qui propterea Regi Johanni fuit acceptior, quod filium non haberet, & viduus sponderet secundam se non ducturum uxorem; unde metus foret quod masculus ex ipsa fortassis haeres genitus, Regni sceptrum, Regiis ablatum filiis, affectaret. Hinc omnia Regni negotia ex consilio fratris moderatur Rex Johannes, & hujus suas Conventus Ordinum publicatur, anni principio sequentis habendus Stockholmiae, ut in eo causa Procerum examinaretur suspectorum, deque bello consultaretur Moschovitico.

Anno MDXC. Theodorus Ruthenorum Princeps, quod Sueonum

exercitus mense nuper Decembri Vardhusianam populatus esset regionem, & pacta induciarum ita bimestrium prævaricatus ; Velut etiam, quod Suecus responsum æquo diutiis prorogans, ditionum bello subactarum non viseretur consensurus restitutioi argento comparandæ ; innumerabilem cogit exercitum. Ac nihilominus imminente colloquii die cum Sueonibus conditi, suos ad illud Commissarios, IV. hominum millibus stipatos, allegat, & cum reliquis ipsem agminibus armatis lente subsequitur, ut si argentum Suecus recusaret, ferrum in illum stringeret. Cum militaribus etiam copiis, sed multo minoribus quam Moschus, Suetici commissarii, Claudius Bielche, ac Gustavus Baner, Estonum Gubernator, in limite regnum comparebant, Nonis Januarii ; post biduum actionem consensu adversariorum inchoatur. Verum interea cognoscentes, licet utrinque promissum fuisset durante colloquio quod armis abstinere vellent, contra tamen à Ruthenis villam esse Jamensem incendio vastatam, posthabito conventu, arma igitur corripiunt. Legati autem Ruthenici, cum illud se insciis contigisse protestarentur, & nostrates frustra ad inchoandam protinus actionem hortarentur, ad exercitum suum reliquum clam inde profugunt. Quorum ignorantes abitum Sueones, postridie castra ipsorum armati accedunt, & fugâ hostium compertâ, eos aliquantis per insecuri, relatione agricolarum cognoscunt, ipsum Russiae Principem cum centum milibus pugnatorum appropinquare. Quamobrem nostrates subito Narviam regressi sunt, & Moschus Jamagorodium aggressus, concessâ inhabitatoribus, propugnatoribusque vitæ ac bonorum immunitate, deditum occupat. Inde vero Narviam, IV. milliaribus distantem progreditur ; Sueticique propterea Duces exercitus tantam non immeritò formidant hostis potentiam, noctu cum agminibus suis Narviâ egressi, Vesenbergum festinant, ut auctis copiis illam Estoniae ditionem ab hostilibus tuerentur incursionibus, & tempestivum ferrent subsidium Narviæ propediem obsidæ. Moschus porro fugâ Sueonum intellectâ, non paucis ipsis Tartarorum millibus inequitur, qui nostros non asscuti pro votis, regionis incolas crudeliter infestant. Quod ipsum faciunt aliæ hostis cohortes in Finlandiam simul ablegatae, multa ibi hominum millia occidentes, vel in miserrimam abducentes servitutem. Cum reliquo autem Theodorus exercitu sub Narviam profectus Livonicam, frustra pacem incolis offert, oppidum & castrum prudentibus impertiendam. Ideoque IV. Februarii octonis Narviam castris obsidens, ipsam aliquandiu tormentis eminus impugnat ; prostrata non modicâ mœnium parte, illam cominus oppugnaturus ; Hinc XIX. Februarii, binis civitatem locis furiose admodum invadit. Verum tamen à præsidariis, præsentissimum Dei auxilium expertis, cum gravissima suorum clade fuerat repulsus ; Non tamen impune, cum plurimi oppidanorum & præsidiorum simul corruerint, aut gravior sauciati, hostibus se opponere diutiis non valuerint.

Cæterum Moschus suorum strage efferatus, post biduum se accingit novæ incursioni. Sed Castellanus, Carolus Henricius, consideratâ commilitonum infrequentia, & hostium potentia ac nullo ex Suecia subsidio expectato ; sicut etiam civium precibus, & sceminarum fletibus, super urbis defensione cum toto Narviæ præsidio prorsus desperantium, compulsus, XXIV. Februarii inchoat pacis actionem : Quæ postridie ita concluditur, ut Moschus Ivanogrodio & Coporiâ recuperatis, Narvensi m solveret obsidionem, ac induciis subscriberet annuis, machinasque in castro bellicas utroque, Sueciæ proprias restitueret. Die igitur XXVI. Februarii Theodorus præfatas nactus munitiones, & ditiones à Carolo traditas, eas suo firmat præsidio, & cum reliquo domum remeat exercitu.

Haec-

Haec tenus verò noster Vesenbergæ Revaliæque desidens exercitus, & suam obtendens infrequentiam, commeatusque inopiam, nec Estonibus nec Finnonibus, nec promissum tulit Narvensibus subsidium, licet Carolus Henricius id magnoperè flagitasset, & potissimum à Gustavo Banerio. Qui ambo gravissimam postea incurrebant Regis offensionem, ille ob Copriam & Ivanogrodium; hic quòd rogatus non tulisset obseffis auxilium.

Interim celebrantur Stocholmiæ Comitia, in quibus Senatores Hogen-schildum Bielche, Comitem Axelium, Gustavum Baner, Ericum Sparre, Stenonem Baner & Turonem Bielche, criminibus onerarunt variis, quorum superius facta mentio. Hinc sententiâ Ordinum Senatorio privati illi officio, custodiæ adjudicantur, & diplomate Regis impresso, per Sueciam ubiq; locorum publicato, summoperè infamantur. Fratri verò jam reconciliatus Rex, Västenensis articulos obligationis penitus abrogat, & hos Procerum culpâ, odia inter fratres qui serere machinati fuissent, ibi conditos asseverat, Carolumque Ducem omnibus Aulæ negotiis, & Regni præfectum administrationi, sibi laboribus admodum fatigato, deputat vicarium.

In his præterea Comitiis, quòd Rex Johannes timeret, nè Ordines Regni progressu temporis', à suspectis seducti Proceribus Regem Sigismundum cum progenie repudiarent; Atque simul etiàm à tota Gustavi Regis prosapia forsitan prorsus alieni redderentur, curat ipsa unionis hæreditariæ decreta, Majorum sigillis, manuque olim roborata, Ordinibus prælegenda; Et ut illi pro se ac posteris easdem confirmarent, à singulis petit. Id non gravatè impetravit, & VII. Martii die successionis pæcta hæreditariæ præsenti Regum familiae servaturos se novo universi spondent decreto. Atque illud priori auctius nonnihil fuit, explicantque successionem; quod nimirùm Rex Sigismundus parenti successurus esset defuncto, & ipsius deinde progenies mascula in throno Sueonum. Vel si nullam Rex Sigismundus relinqueret, succederet Dux Johannes, cum suis filiis, posterrisque, fruiturus Finlandiæ Ducatu. Aut si nec ipsi liberi superessent, sceptri tandem dignitas ad Carolum Ducem devolveretur: Ita tamen quòd in hoc observaretur successionis ordine, ut si proximus Regni hæres minor foret ætate, senior in familia fidelem ageret ipsius tutorem, & Principem clientem, ubi XV. attigisset annum, ad medium regiminis consortium admitteret, integrum verò cum XX. excessisset, imperium ac dominium ipsi permitteret.

Verùm si omnis interiret stirps regiæ familiae mascula; Tunc illo casu ad fœmineam esset procedendum, & senior in hac Sueciæ domino fruitura; quæ orto etiàm ex Gustaviano in exteris regionibus sanguine nuberet marito; Vel eo non suppetente aut indigno, alium ex votis Sueonum electura foret, quem ipsi tanto dignum toro thronoque judicarent. Porro filiæ Regum superstites, tantum dotis consequerentur, quantum in Testamento ipsis Gustavi olim esset deputatum. Anna autem velut unica Regis Johannis, per specialem quandam gratiam, & intuitu mortuæ matris, ex generali Sueonum contributione, centum millia thalerorum, & totidem postea tempore nuptiarum instanti, ex annuis Regni censibus foret perceptura. Cæterùm Catharina Duci Caroli filia, mortuo sine filiis parente, omnes ex Ducatu redditus, proventusque per triennium levatura, bonis donec nupsisset maternis fruitura vitalitiis, unà & paternis hæreditariis. In his tamen omnibus progeniem Regis Erici omnino excludendam fore. Econtra, Gustavi posteros, tantis qui frui deberent beneficiis, ad servandum jura pæctaque Sueonibus, illos clementer gubernandos, & religionis libertatem permittendam, obligatos teneri pronunciant.

Neque fuit prætermissa à patre filii Sigismundi sedula excusatio, ob suceptum Poloniæ gubernaculum; quod alias magnoperè fuisset metuendum, nè Moschus vel hostium aliis, sceptrum nactus Polonicum, bello Sveciam penitus obruiisset, Finlandiâ, Estoniâque privatam: Modò autem in hostium quoslibet non dubium subSIDIUM Sueonibus ex Polonia expectandum.

Fatetur quidem Rex Sigismundus in literis ad Sueciæ Ordines, IX. Januarii, anno MDXCIII. conscriptis, quòd nostrum exercitum non minus auro & argento, quam auxilio & consilio, sæpius adjuvisset. Certissimum tamen quòd Dux Carolus, non modicam fratri pecuniam in eosdem suppeditavit usus, postea ex regiis solutam proventibus.

Ante finem denique Comitiorum, ex Livonia pertristi nuncio huc perlatum est de Ivanogrodi & Coporii ditione, maxima Rex Johannes Ordinesque consternatione affecti sunt. Verum animo resumto, armis illa quantociùs repetenda decernunt, atque impensæ ad id promittuntur.

Quandò etiàm Carolus Henricius Stockholmiam vocatus, judicio posteà sistitur, & quamvis rationes ipsi non deessent, quibus ditionem arcium non nefariè sed necessariè factam demonstraret; tamen morti adjudicatur. Guitavus quoque Banerius Revaliâ accitus, cum reliquis Senatorum exautoratis custodiæ mandatur.

Adeoque habuit illos Rex suspectos, ut in condito nunc testamento, vel quodam testamenti potius fragmendo, suos plurimum hortaretur successores, nè Hogenchildo, Comiti Axilio, Gustavo & Stenoni Baneriis, Erico Sparrio & Thuroni Bielchio, ulla tenus confiderent. Ad hanc fortassis commonefactionem instigavit Regem Dux Carolus, qui non parùm offensus erat præter alia ob id quoque Proceribus, quòd Sigismundo Revaliæ suassent, ut sedulò parentem admoneret, nè ullum conderet Testamentum inconsulto Regni Senatu, utque in hujusmodi supremæ voluntatis codicillo, constitutiones simul Calmarnenses omnino compræhenderet.

In suspicionem pariter alii Optimatum nonnulli sunt prolapsi, quos inter Johannes Sparrius nunc captivatur, à Chirурgo Comitis Petri mendacissimo, apud Regem factionis accusatus, cum socero & leviro, Comite Erico, aliisque Procerum & Principum, quæ internorum quæ externorum, suscepæ. Ad inferioris conditionis homines, captivis familiares, progressus deinde Rex Johannes, ipsos in vincula quoque conjicit; quorum unus fuit Petrus Erasmus, qui quòd Senatus fuisset depositi Secretarius, & Regiæ nolle favere suspicioni, sub aliorum prætextu criminum, varie tribulatur. Verum quòd Johannes Henricius, Regis Secretarius, & Philippus Chermius, modo in regiam unà incidissent indignationem; horum fortassis merito, & inscrutabili Numinis judicio est tribuendum; ob Ericum quondam per illorum ministeria veneno sublatum.

Nec fuerat Clerus à tribulatione immunis; Siquidem Rex Johannes post suum ex Livonia redditum, intelligens Professores & Sacellanos Stockholmenses quoddam Liturgiæ bellum commovisse, ipsos, aliosque non paucos, in carcerem compegit. Quorum liberationi quamvis Regina Gunila sedulam dedit operam, tamen sat diu carcerum squaloribus afflicti fuerunt. Neque etiàm profuit Proceribus captivis, licet simul pro ipsis sæpenumerò intercederet Rex Sigismundus. Undè non difficulter quivis poterit conjecturari, quam perturbatus fuerat utriusque in patria tunc status reipublicæ, propter hujusmodi suspiciones & captivationes, quæ per sequens biennium fœcundè viguerunt, & abundè passim increbuerunt.

Suam quoque senserunt tempestatem Scholæ Sueticæ, ac Gymnasia liberalium artium. Nam per Ericum Schepperum & Jacobum Schinnerum, aliosque horum collegas nuper in illas Petri Rami doctrina introducta, Ari-

stote-

stotelis minus prudenter vel scienter eliminata, juventutis literariæ tenella ingenia plurimum conturbavit. Scandalo præterea fuit hoc tempore Vellmannis, civium quidam Arosiensium, qui licet Christianis ibi natus fuisset parentibus, & baptizatus, tamen veteris lectione Testamenti, non satis rectè intellecti seductus, Christo per summam impietatem ejurato, perfidiam Judæorum amplectitur, & contumaciùs tuetur; Ità ut incredulitati & perversitati Judæorum in omnibus se accommodaret, nihilque aliud ipsi restaret, quam ut Judæos accedens, circumcidetur; quod semper etiam in votis habuit. Sed morte præventus, illorum compos non evasit, sepultusque nimis arroganter in cœmiterio basilicæ Arosiensis, ad plagam vergente borealem; Qamvis potiori jure in propinqua fuisset palude tumulandus, & palo transadigendus. Is præter uxorem & liberos, quandam in regione Cuprimontana Sculterum, ad suam pariter vesaniam traduxit, vel potius seduxit. In vicino autem oppido Henemorense, Proconsulum unus progressu temporis vitam complexus solitariam, tanto floruit Prophetiæ dono, ut quædam Patriæ fata certò prædixisse feratur; Et quidem talia, qualia olim ille famosus ac religiosus Anachoreta, frater Stephanus, finitimum incolens Monasterium Husbygense, non fallaciter fuit vaticinatus.

Hujus porrò anni æstate, Johannes Rex Ivanogrodiū & Coporium omnino recuperatus, non indigenâ contentus milite, alienigenam simul comparatus, Centurionibus in Germaniam ablegatis, aliquot ibi milia pugnatorum collegit. Iste autem miles jussus Dantisci confluere, ut illic lustraretur, & reliquum salarii consecutus, indè duceretur contra Moschum. Atqui in oppidum non intromissus à Senatu, infidias formidante, ad' propinquum divertit suburbium, Scotland vocatum; Ubi cum aliquanti Sueticos frustra expectasset Commissarios & diribitores, catervatim dilabitur. Ego reor militem hunc à Sueco Gedani propterea congregatum fuisse, ut vel Polonico conjunctus, hosticum ingrederetur, vel ibi stipendium ex thesauro regis Sigismundi consequeretur. Sed missis conjecturis, invenio Moschum propter istum militis concursum, velut etiam ob Regum, Johannis & Sigismundi, nuperum Revaliæ colloquium, non aliud sibi persuasissime, quam quod viribus conjunctis à Sueco & Polono foret impugnandus: Ac propterea ut domi paulisper horum alterum distineret, argento Tartaris numerato, ipsos ad infestandum Podoliam fraudulenter permovisse.

Cujus doli Rex Johannes non ignarus, ut dolum dolo, velut clavum clavo, pelleret, per nuncios & literas Chrimeos quoque sollicitavit Tartaros, ad Russiæ impugnationem. Ipsem verò ditiones hostis occiduas denuò subacturus, misso interea Narviam fratre Carolo cum Sueticis cohortibus, vario Ivanogrodiū conatu, sed frustra oppugnavit. Miles igitur in hyberna secessit, & Dux in Sueciam rediit. Ità hostis metu liberatus, conterminas Estoniæ ditiones vicissim invadit, ferro flammaque crudeliter grassatus.

Auno MDXCI. post fratris ex Livonia redditum Rex Johannes de nova in hostem expeditione instituenda consultaturus, veris initio convocat Ordines Stocholmiæ. Atque horum assensu fuit decreta in Poloniā Legatio, subsidium in Ruthenos petitum, & foedus cum Polonis in eosdem pactura. Iisdem Comitiis Proceres captivi XVI. Junii, judicio quoque presentantur, & Rex in throno præsidet, qui ad conspectum illorum iracundior, actionem à convitiis exorsus est, & Hogenschildo exprobrat, quod Danico se quondam Stabulario captivum dedidisset. Gustavo Baner objicit, quod ipsius culpâ Ivanogrodiū & Coporium, auxilia tempestiva Carolo Henricio non submittentis, Sueones amisissent. Erico Sparrio au-

tēm, quōd Estoniam Polonis spōndisset, in praejudicium suae instrūctionis & commissionis; insignia quoque Baronis in Scotia nescio Rege sibi procurasset. Ad quae responsa minus etiā placita nactus, magis effera-tur, & gladio educto, ipsum sibi datum cœlitū innuit, ut in proditores & Regni perduelles, meritis vindicet suppliciis; actutumque surgens, cum indignatione ex Ordinum se corona proripit.

Deindē Princeps Carolus in certamen acrius cum reis conventis de-scendit, erga quem non minus alacriter se quilibet eorum defendit, & ad objecta respondit crimina, quae Olaus Svercherius Regis Secretarius ex li-bello proclamavit. Tandem neque fontes, neque insontes declarati, se-paratæ in arcibus Regis destinantur custodiæ, quam amicorum interces-sione nihilominus evadentes, in suis rure domiciliis ut à Regio milite ob-servarentur, concessit Rex Johannes. Prius tamen suam ipsis gratiam Dux Carolus, à conjugibus illorum continuò sollicitatus, impertivit, & Axelium Comitem in aula secum honorificè aliquāndiu detinuit.

In hoc conventu Ordinum præterea fuit deliberatum de colloquio cum Danis, nomine trium Coronarum instituendo: Hinc deputati ad il-lud Commissarii, in colliminio cum adversariis comparentes, ipsis pro-rogationem controversiæ, usque Annum MDXCVII. impensè flagitanti-bus, ægrè admodum concesserunt.

Aliud verò solatii, nostros in Comitiis Varsavienibus Legatos, quod attinet, non obtinuisse illos reor, quām quōd sponderent Poloni se Moschum permoturos, ut æquioribus cum Sueco transigeret conditionibus. Habuit quoq; illustrissimus Dux Carolus circa hoc tempus suū in Anglia Oratorem, Theophilum Homodeum, Medicinæ Doctorem, & præbuit istâ legatione novam adversariis nonnullam calumniandi se occasionem, & fratri forsi-tan sinistra de se suspicandi opportunitatem. In Holstiam alium Princeps miserat Legatum, nempe Ludbertum Caverum, suo ut expeteret thala-mo Adolphi nuper defuncti filiam, Christinam. Atque indē optatum nactus responsum, solennia nuptiarum sedulus apparat, Regi Johanni germano minus grata, quōd maluisset ipsum vitæ reliquum, vigore pro-missionis, in statu cœlibi peragere, subverens nē inter patruelēs oborta deinceps contentio, suis noceret filiis sceptrum Sueonum adepturis. Ean-dem porrò virginem Rex Sigismundus, ante suum in Poloniā abitum, desideraverat quoque tori consortem, & proptereā suam ipsi effigiem, cum aliis magni precii munusculis, fertur transmisisse; animum tamen posteā mutasse, consilio Elizabethæ amitæ, quae illud primò suafit connubium. Atque hinc existimant nonnulli, ast quām verè ipsimet viderint, quōd Christina ob repudium indignata, & post Carolo maritata, hunc in-stigaverit ad extorquendum Regi Sigismundo Sueciæ gubernaculum!

Cæterū præsenti anno currente Rex Sigismundus in Austria pro-catus, sponsam impetrat Annam, Caroli Archiducis filiam, & missō proptereā Legato nunc in Sueciam, Serenissimum parentem ad festa nu-ptiarum sequenti anno celebranda, peramanter invitat. Qui loco sui filiam eò destinat. Et ea proinde modō se itineri accingens, Architriclinum elegit Johannem Sparrium, gratiæ jam Reginæ restitutum, & suæ Magistras aulæ conjugem hujus Margaretam. Quibus cum, velut etiā cum reliquo comitatu, & apparatu, filiam Regis decente, ad fratrem tem-pestivè perrexit, ut ipsi esset auxilio in præparandis pro dignitate orna-mentis nuptialibus. Habuit ea secum à captivis Proceribus libellos suppli-ces, quibus sponsum & sponsam submissè orabant, ut beneficio illorum gratiæ Regis Johannis restituerentur. Pollicita fuerat ipsis etiā prolixè suam operam Princeps Anna, captivis non parūm addicta.

Verūm

Verum domi bello Rex Johannes Moschovitico intentus continuando, nervo vero destitutus pecunia, ut majorem hujus copiam compararet, maligno Vilhelmi de Wyf consilio hominis vaferimi, denarios formae quadratae, numerosos quidem sed nimis aerosos, hoc tempore signandos curavit: Quam Stocholmiae pro mercibus milites offerunt institoribus, & illam velut non tanti valoris, cum non acceptare recusarent, his tanquam Regiae contemptoribus moneta succensentes, negotiatorumque invadunt furiose tabernas, & eas passim diripiunt, neque modicos propterea commovent tumultus. Adhaec Princeps Tartarorum, quod anno priori de auxiliaribus esset copiis a Rege Johanne compellatus, suos in Suecia haber modò Legatos; quibus cum ita Rex transegit, quemadmodum regni videbatur necessitas flagitare. Atqui Christianus a Danis Rex electus, de sua fuit quoque solicitus designatione apud Norvegos: Quamobrem initio hujus æstatis in Norvegiam proficiscitur, ab incolis VIII. Julii Rex salutatur. Quos eadeundi illos vel suffragia electionis apud illos petendi, benevolentia nec Fridericus I. nec Christianus III. nec Fridericus II. dignatus fuerat.

Principio autem autumni, clarissimus nobilissimusque Heros, Petrus Brahe, Comes a Visingborg, Regis Johannis amitus, placida obdormiens morte, in Ecclesia sepelitur deinceps Ryana. Atque Rex modò intelligens sui chronicon parentis ab illo scriptum, illud sedulò indagatum non inveniens, grandem erga Comitis heredes concipit indignationem, quod secis quam deceret illud conslatum suspicaretur.

Verum mense Decembri, Carolus Henricius propter deditas Molcho arces, mortem subiturus, Stocholmiae grandi producitur spectaculo; Ob intercessionem tamea Regis Sigismundi, crebro parentem per literas obsecrantis, ne gravius quid in reum statueret, Duce Carolo quoque idem persuadente, in carcerem reducitur. Facienda quoque est mentio M. Andreæ, Regni Archipræsulis. Hic Calendis Januariis ex vita migraverat; post triennio fermè cathedra vacat Upsalensis: Nec obitum ipsius magnopere Misoliturgi defleverunt; reliqui tamen Ecclesiasticorum illo ægrè admodum caruerunt. Vixit porro adhuc Magnus Laurentius, cui prius quam Andreæ fuisse infulam Upsalenium destinatam memineramus. Is modò acceperat coadjutorem in Cœnobio Vastenensi, Magnum Andreæ Neolosensem, Andreæ Servio, velut minus illic idoneo, in Germaniam remisso; Qui magno nominis encomio in Gymnasio Silesia Nissensi Philosophiam deinde profitebatur.

Anno MDXCII. ineunte, morbo cœpit Rex Johannes lento quidem, lethifero tamen laborare, quem illum contraxisse, tunc & posteà quidam suspicati sunt ex vini cuiusdam potionē sibi dono missi, adeò ut quod diutiis illud usurparet, eo majus infirmitatem sentiret capessere incrementum, & nihilominus potu hujusmodi noxio non potuerat abstinere. Morbus autem fuit hemiplexia non absimilis, ita quod leni quadam paralysi alterum imprimis brachium duntaxat infestaretur, & cum imperitiores Medici, quorum unus erat Simon Regis Pharmacopæus, tali nervorum resolutioni curandæ nimis violenta adhiberent medicamenta, corporis tandem universi dissolutioni, & animæ tandem migrationi, velut posteà commemorandum, causam præbuerunt. Morbi tamen principio, simul cum exauthoratis luctabatur Consiliariis, quos paucis ante Pascha septimanis vocatos denuò Stocholmiam, in unum compegit carcerem. Captivos uxores comitatae sunt, nec a maritis poterant divelli, quod cædem submetuerent Upsalensem, qua parens, fratres & cognati quarundam illarum occubuerint. Verum ociosa vel potius malitiosa fuit talis de optimo Rege suspicio, qui paucis exinde diebus, quorundam intercessione, sicut etiam propriâ in misericordiam propensione commotus, Proceres domum remisit; Regio tamen milite observandos. Tantoperò porro a pravis quibusdam consultoribus & delatoribus, hoc postremo fuit vita anno seductus ad suspiciones (qua plurimis interitum regnis sapienter attulerunt) ut paucis consideret, & suam fermè umbram, nulli prorsus periculo expositus, metueret. Ideoque conjugibus captivorum, maritorum libertatem suppliciter flagitantibus, & in terram procumbendo post ipsum longo spacio sapienter repentinibus, aliquantulum subinde respondit acerbius; cuius tamen facti mox illum pœnituit.

Interim filius Rex Sigismundus curlis liber, navat operam solennibus nuptiarum; quibus studiosè apparatis, sponsam advocat, & Cracoviæ XXI. Maij, videlicet festo sanctissimæ Trinitatis, quâ decens fuit pompâ, sacrum connubii celebrat. Nec multo post nuptias tempore, amita Regem Sigismundum Cecilia Marchionis vidua Badensis, invisens, benignè suscipitur, & pluribus donata munusculis, dimittitur. Hæc Vratisla-

viae Johannem, qui Cantor nuncupabatur, natione Suecum, & professione Monachum, sibi delegerat Sacerdotem: Nam olim cum Catholica fidem permutavit Lutheranam, licet in hac nata & simul foret educata, atque in illa constans perseveravit. Propterea gravior Regi Sigismundo & Annae uxori fuit Cecilia adventus.

Secundum nuptias datis ad Regem Johannem literis, inter alia captivis liberationem optimatibus impetrare conantur ambo novi conjuges. Atqui horum precibus, præsertim Nurus, sacer assensum denegare minus decorum ratus, suam illis V. Proceribus gratiam & libertatem, non autem dignitatem pristinam, spopondit, ratione ea ut quodam scripto de fide illi obligarent. Hujus verò compilatio cum tardius maturaretur, factum est, ut ante Regis obitum non fuerint liberati; Prout neque alii captivorum, quorum numero fuerant Professores, quibus Regina Gunila magnoperè patrocinabatur.

Cæterum in Julio Stockholmia pergebat Rex Johannes Upsaliæ versus, ut illic velut aurâ salubriore fructurus, perhyemaret. Atqui Drotningholmum perlatus, morbo cœpit magis affligi, & lecto penitus affigi, cumq; nonnihil convaluisse, sua tamen vitæ diffideret, absolutione ac Eucharistiæ sumptionem, (a quibus plus quam annis tribus abstinuerat hactenus, propter illam cum Procerum nonnullis controversiam) statuit usurpare. Quapropter Jonâ Sacellano in conclave accito, ubi decumbebat, cuique sola astabat consors Regina, & unus Cubiculariorum, se in lecto arrigens clarâ in primis voce, multis tamen suspiriis & lacrymis subinde conturbata, coepit gratias Deo agere, pro acceptis animæ & corporis beneficiis. Deinde multâ devotione ac compunctione, Psalms quos vocant pœnitentiales; *Miserere mei Deus, & De profundis clamavi ad te Domine,* cum piis quibusdam orationibus & sententiis, ex utroqne desumptis Testamento, recitavit. Quibus demum adjunxit Symbolum Athanasii, & suam clausit deprecationem doxalogio Ambrosii, flagitando a Sacerdote tandem consolationem & absolutionem.

Itaque januis, quæ hactenus occlusæ erant, patefactis, orditur presbyter concionem, tali in negotio constitam: Illaque finita monitus a Sacerdote ægrotus, super testamento tempestivè condendo, respondit, id se facturum, si vitam Deus prorogare aliquantulum dignaretur; sin minus, paterno se adhæsurum. Postea rogatus ut omnibus ignosceret, & offensam condonaret, libenter assentit, addens, petensque, ut Deus etiam ipsis parceret. Extremò autem de Liturgicis interrogatus Ceremoniis, subintulit: Cum animadvertam plerosque inde scandalizari, & tumultuari, diutiis cum incapacibus & contumacibus hujusmodi cerebris, ac hominibus refractariis nolim imposterium colluctari. Nec erat de his vel rebus aliis, magnoperè ultrâ sollicitus, tantum utramque Deo rem publicam sedulò commendans, patientiam devotè flagitavit, ut bonum cum Apostolo certamen certaret, & cursum fideliter consummaret, bravumque in cœlo reportaret immortale. Hisce absolutis reverenter & decenter admodum Eucharistiæ propriis illis suscepit digitis, quibus simul barbam compressit, ac deinde Psalmum deuò recitat, *Miserere, cum latinis quibusdam precationibus.*

Luctata fuit etiam hoc & superiori anno cum mortifero morbo quodam contrafacto ex nimia senectute, Nobilis Domina, Västenensis Cœnobii Antistita, Catharina Gyltha, & tandem ab ipso superata, III. Junii, animam exhalavit. Hujus in exequiis Magnus Andreæ, Concionator Monasterii, ex primo Ecclesiæ Suecanæ libro Rituali, quem M. Olaus Petri conscriperat, preces pro mortuis necessarias demonstravit, & mirè Evangelicos inde exagitans, de sugesto ad auditores triumphavit.

Atqui instabant nuptiarum solemnia illustrissimi Sudermanniaæ, Nericiæ ac Verme landiæ Ducis Caroli Nycopiæ XXII. Augusti die, sibi Christinam Holsatiæ Principem, connubio sociaturi: Iltis Rex Johannes interesse per morbum non valebat. Verum convivia in cœlo de se præparaturus, mense Octobri exeunte Stockholmiam relatus, cum corporis ægritudinem ingravescere sentiret, iterum Jonam accersiri jussit Sacellatum, & advenientem ita compellat: *Cum tibi nuper am fecerim meam confessionem, ipsam non reperio, cui me adhæsurum, in caue moriturum profiteor; tantum igitur novam à te consolacionem & absolutionem desidero.* Atque iis a Ministro peractis, sumpsit Eucharistiæ Sacramentum, & inter alia pietatis exercitia submissè illam Jobi pronuntiavit seu immurmuravit sententiam: *Scio quod Redemptor meus vivit.* Nec amplius Sacerdotum ullus ægrum invisit; qui paucò post tempore ad extremam perductus cum morbo, vel morte potius luctam, XVII. Novembribus die vitam, quam annis LV. vixisset, mensibus XI. diebus XIV. & horis XII. clauserat, novamque in cœlo inchoaverat

nunquam terminandam.
